SAL. FRENCELII SILESII
Epigrammatum

PARS ALTERA,

In decem Libellos distributa:

Quorum

DVO Sacrorum:
SEX Miscellaneorum:
VNVS Eroticωn, Nuptialium, & Genethliacωn:
POSTREMVS Epitaphiorum.

In quos priùs, quàm inuoles, Lector, amabò Epistolam ad calcem pellege.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno M. D. IC.

AMICVS OMNIBVS VSQVE AD ARAM.

IN hoſte cum laudanda ſit Virtus; colo,
Non tantùm amo, promiſcuè quosuis Bonos,
Qui litteris, rebusq; geſtis ſeculo
Se conſecrarunt poſtero. ſtultiſſimè
Sapit; ſed & ſapienter ille deſipit,
Commertia Eruditiorum qui putat
Vitanda Relligionis vno nomine.
Doctiſſimorum ſic Libri vtiles virûm
Exterminandi eſſent Scholis magno agmine.
Nam Cerdo quòd nouit nihil, quàm ſcalpere
Pelles ſuas, habetur infra cæteros.
Quòd ſi ſequutus Palladis forum ſacræ
Doctrinæ opes ſibi paraſſet aureas,
An non amore proſequendus feruido
Idem foret? naſutuliq; ſanctuliq.
Hoc improbent: doctos ego vos ſingulos
Bonosq; ſector, & colo fideliter:
Sed quomodo? Sanctam vſq; ad Aram. hic terminus.

ILLVSTRI ET MAGNANIMO BARONI, CAROLO ZEROTINIO,

Namœſtij &c. Domino,

Morauiæ Syderi, antiquæ Gentis Illuſtratori, literatæ Nobilitatis Ornamento, optimorumq; Studiorum Mecœnati literatiſſimo.

SALOMON FRENCELIVS
à Fridenthal. ordinarius in inclyta
IVLIA Ethicorum Profeſſor
S. P. D.

HOC opuſculum, ſiue mauis Syluam, ſiue Farraginem, Epigrammatum, in decem Libellos partiri placuit: quos ſingulos præſtantium Virorum nomine inſigniui, vel (vt rationem Inſtituti diſertiùs explicem) quibus ſingulis vnum certumq; Patronum conſtitui. Cauſſæ minimè illiberales tum ex ſequenti Epigrammate, tum cæteris Epiſtolis nuncupatoriis, quas & ipſas ad ſingulos perſcribere

non sine euidenti causſa placuit, liquidò patebunt. Et sanè ita se res habet. nemo est horum omnium, qui non singulari me amore prosequatur, eumq; meritis comprobarit: nemo, qui huic Libro non esse queat insigni ornamento. Equidem de Te, Illustris Baro ZEROTINI, affirmare non ausim prius, nisi fortasse Mei inscii nomen non prorsus tibi sit obscurum inuisumq;: tantoq; miraberis vehementiùs, quòd te in theatro alloquar. Verùm scis, nihil esse noui, Patronos quæri ab iis, qui ingenii sui fœtus enituntur, etiam ignotis: ambiriq; eorum gratiam, qui authoritate valent, & iudicio. Tu quo sis loco, Heros, neminem potest fugere, nisi qui bonarum literarum parum euoluerit, vel præter patrium fumum non viderit alium: quali homine nihil imperitius esse scimus, nihil magis plumbeum. Nec mirum, florere tuam existimationem, CAROLE. quas enim dignitates honoresq; alij aucupantur nescio quibus artibus, atq; adminiculis: ea tu iam inde à primâ Adolescentiâ, non tam opum splendore, quibus vt abundares, DOMINVS prouidit, tibi comparasti, quàm admirabili ingenio, doctrinâ excellenti, bonisq; disciplinis omnibus,

mnibus, & ijs animi virtutibus, quas perpauci amplexantur, præsertim tuæ conditionis homines, plures præ se ferunt, quàm possident. Verùm ego hìc non instituam prolixam laudum tuarum commemorationem; quod facere poteram, & debebam; ne iniquis Interpretibus videar κολακεύειν: à qua seruitute vehementer abhorrere me iubet Natura. Norunt te, & his, quæ de te prædico, testimonium perhibebunt, non nostri tantùm Germani: sed & Galli, & Itali, & Hispani, & Angli, & Belgæ, & quæcunq; sunt Nationes cæteræ: nec ex his plebeij norunt: sed summi Reges, & Principes, quibus te carum reddidisti; adeo vt haud sciam, an tanta felicitas, hoc præsertim seculo, vlli ex tuo Ordine contigerit. Sed & doctissimorum quorumq; Europæ Virorum animos mirificè tibi deuinxisti, qui cùm Virum nobilissimum, eundemq; literatissimum, tanquam singulare virtutis heroicæ Exemplum, nominare discupiunt, CAROLVM ZEROTINIVM efferunt. Neq; verò hìc quidquam comminiscor: sed quod in monumentis oculis meis vidi, quod auribus meis audiui; id leuiter attingo. Quamobrem à multis iam annis in eam curam atq;

cogitationem incubui, quo pacto in tuum me animum liberaliter insinuarem. in noticiá enim & beneuolentiá illustrium Virorum omnem penè felicitatem humanam ponendam existimo. nec me hactenus fefellit opinio; quando suá me Amicitiá & familiaritate Optimates quiq; ab vltimá Adolescentiá meá sunt dignati, non tantum in Germania (absit à verá & eleganti laude iactantiæ suspicio, absit Inuidiæ stulticia) sed in alijs etiam florentissimis regnis & prouincijs, magis fortasse fato quodam meo, quàm merito; vt mihi quidem videtur. Verùm varia hactenus impedimenta omnem mihi occasionem ad Te eripuerunt: neq; enim importunè impudenterue obtrudendum me censui, quem vltro citroq; alij inuitarunt: Neq; diutiùs tamen desiderio tam iucundo obstandum, sed potius quamcunq; honestam Εὐκαιρίαν arripiendam esse putaui. Offero igitur tibi, Clarissime BARO, hunc Libellum perexiguum, primùm vt meum in te animum testatum faciendo eorũ te adsciscam in pulcerrimum ordinem, qui monosse & amare ceperunt, nunquam desierunt. quod vt abs te impetrem, æquum est, tuaq; humanitate & prudentiá dignissimum: sicuti

sicuti non minùs, vt hoc interim Munuscu-lum boni consulas, dum sequàtur luculentius: quod itidem summá obseruantiá abs te peto. Volo etiam ideo te in fronte huius libelli mihi splendere, quemadmodum cæteros in cæteris, vt cum inter Germaniæ proceres tua virtute eluceas, cumq; amplissimo tuo nomine multorum Scripta illustraueris hactenus, illud doctissimi SCALIGERI de te & ad te pronunciare mihi liceat:

Ardor agens rapidæ cœlestia semina mentis
Præcipitatq; vrgetq; tuæ me inuoluere famæ.
Fas modò luce tuâ tenues animare lituras,
Et terram informem vestro componere cœlo.

Nec addo plura. de tuá enim humanitate dubitare, nefas esto. Vale nobilissime Baronum. Ex IVLIA, Cal. Ian. Anno vltimæ Christianorum patientiæ M. D. XCIX.

LECTORI AEQVO.

De Epistolis Nuncupatorijs.

Decem, LECTOR, Opusculi Libellos
En vnius! habent salem ac leporem
Nullum, vel modicum: fatebor vltro.

Nam sunt molliculi; sed elegantes
Et docti minùs, & laborioſi
Argutiq; minùs, minùsq; comti.
His viſum eſt mihi, more plurimorum,
Vnum quærere ſingulis Patronum.
Hîc os contrahe, Liuor inquinatum,
Et moue hinc faciem febriculoſam,
Turgentem, gelidam, ſiticuloſam,
Seruilem, illepidam, & calumnioſam,
Qui Saperda tibi vidéris vnus;
Coprei reliqui cui ſed omnes,
Qui cum iudicio politiore
Meas eſſe aliquid putant Camœnas,
Meas, neſcio quas, vbiq; gratas,
Te quantumlibet inuidente, nugas.
His, inquam, faciem amoue libellis
O Liuor, faber ô calumniarum,
Quot ſunt, & quot erunt, quot & fuerunt,
Ne vel nunc malè mentiaris, olim
Aut mentitus ab omnibus ſceleſtè
Dicaris. quibus hos dedi Libellos,
Hi ſunt de numero fideliorum,
Quos de me meritos amicè amabo
Semper plus oculis meis, colamq;
Mens tenax fidei, memorq; facti
Se quocunq; modo viáq; gratam

Exertat.

Exertat. Scopus hic, amice Lector,
Fuit tot mihi Dedicationum:
FVIT NON ALIVS, BENIGNE LIVOR.

IVSTVS LIPSIVS

SALOMONI FRENCELIO S. D.

EA verò vota DEVS audiit, quæ concepiſti, mi Frenceli, auidá & in me benigná mente. Amicitiam meam voluiſti: iuro tibi per æternum illum amicitiæ Præſidem, ſacrum ignem, habes & habebis, conciliantibus virtute tuá, & doctriná. Ore mihi notus non es; corde es, & pectore: quod vnum ego ſpecto in tali iſto fœdere coëundo. Vidi verſus tuos, quos adiunxiſti; præferunt non ſcientiam ſolùm, & erectius ingenium, ſed iudicium, & ſapientiam, quod caput eſt rerum. *Ah quàm multi docti acutiq; ſunt, nullius noticiá rei bonæ! quos probitas, aut prudentia non reſpicit: & qui, velut vitrum, ſplendent; ſed pretium aliud non habent.* At ego te, & illos laudo, qui vt gemmæ arcanas dotes, & pretium adferunt; qui tractati placent, & magis magisque, cùm pernôris. Benè

ità de te iudico, tùm ex ſcriptione tuá ad me, quæ habet has notas; tùm ex præfatione vná, in quá vidi, quod placuit, iudicium de ſtilo. Apage Nouatores iſtos titulo vetuſtatis: qui corrogant & conſarciunt antiquantia aliquot verba, & ijs ſe iactant, non alio colore aut ornatu boni. Nos quam damnemus, ſciunt amici aut diſcipuli noſtri: clamamus, ingerimus, ſed apud quosdam fruſtrà, qui bellum putant, quidquid exſtat. Verrucas & nævos imitantur, & excerpunt: lineas & colores viuos non ducunt. Hæc perpetua mea ſententia eſt; & ad ſcripta mea appello: non excedunt: quò magis miror (non enim indignor) fuiſſe nuper, qui librum venditaret titulo L. L. & quaſi ego inter hos κακοζήλους. Quisquis puriter & affectuum expers iudicat, ab illo calculum non feret, à me magis, qui hoc ipſo benigniora iudicia mereor, quod nec læſus inſurgo, & vlciſcor. Quid tamen facilius? nolo viuere, niſi vnius ſemihoræ calor frigentium verborum illas pruinas non dicam detegat, ſed diſſupet, & verum atq; vná ipſum virum Europæ noſtræ oſtendat. Bonus Senex! Dareten aliquem quærit? reperiet fortaſſe, ſed non ipſe Entellus. Tiro in

in his rebus eſt, & adhuc in prætextà: quid laceſſit militiæ veteres, & ſtipendiorum plenos? Modeſtiam amo, & apud me ſancta eſt: ideò nec priuatim vltrà lædo, & ſatis ſit, in occaſione hoc tetigiſſe. Te, mi Frenceli, hortor, amare vetera, ſed cum iudicio; amare ſcientiam, ſed cum prudentiá; omnia autem cum Modeſtiá, quæ ſal & condimentum eſt noſtrarum actionum. Hæc gratiam, hæc diuturnitatem parit: typhi & venti abeunt, & in aëre cottidiè vides. Vale. Louanii, Idib. Septemb. M. D. XCV.

I. Caſelium V. C. ſaluto, iam ſenem, prudentiâ & annis plenum. Eam enim viam ingreſſus mihi videtur iam olim: iuxta metam eſt, vtinam & ego.

Τὸν Φρεγκηλιάδην, τῶν μουσιπόλων ὄχ' ἄριστον
ἀκ ἀλόγως ἔπους καὶ Φρενοκηλιάδην.
Ὡς Φρεγκηλιάδης, ἐν ἐτεοῖσι, ἀκ ἐρανιστὴς
μικρολόγος, παίζειν οἶδεν ἐλευθερίως.
Ὡς Φρενοκηλιάδης κηλεῖ πινυτῶν Φρένας ἀνδρῶν
θεσπεσίοις μούσης θελξινόοις μέλεσι.
Εἰ δέ πς ἄλλε κορῶν ζηνὸς γλυκερῆσιν ἀοιδαῖς,
ἄτε λόγε μερφῆ τέρπεϊ εὐτραπέλε.
Τοῦτον ἐγὼ φαίην ὠμησαῖς φησὶν ὁμοῖον,
καὶ πάνυ ἀνθρώπε ἐκπεσέειν φύσεως.

Ιωάν. Καςήλιως.

IN

IN ALTERAM PARTEM POEmatum, Clariſs. Viri, Salomonis Frencelii P. Cæſ.

SI quis in-ante legens numerosq; ſalesq; Catulli,
Aſpectu arguti carminis obſtupuit:
Seu quis Bilbilici riſusq; iocosq; Poëtæ
Vidit, & arrectâ gaudia mente tulit.
AEmula Frencelii legat idem Epigrammata Vatis,
Quæ dedit, aut luci poſtmodò fortè dabit.
Diſpeream, niſi miratus ioca ſalſa, leporesq;,
Et fœtum ſapidis luſibus ingenium,
Non minor eſt hilaro Frenceli Muſa Catullo,
Inquiet, aut Cycno Bilbilis alta tuo:
Penè etiam maior. cum ſeria riſibus addat:
Cum pietate ſales temperet ipſe ſuos.
Viue valeq; diu Charis Attica; Romula Siren:
Semideos miti voce Deosq; ſona.

Quicquid ero, aut quocumq; loco, ſine fraude, ſine aſtu
Integer, & mente & fronte manebo tuus.

Henricus Meibomius Poëta Cæſarius, academiæ Iuliæ Profeſſor ordinarius, die ſuo Natali 4. Decemb. Anno Chriſti 1598.

CLA-

CLARISS. SALOMONI FRENCELIO

Poëtæ primo, Amico ſummo. S.

TAm cultos numeros, tam verba diſerta, ſalesq;,
Quos Charitum natos crediderim in labiis:
Tum quantum hîc venerum eſt, quantum eſt hîc cumq; leporum,
Omnia quæ iurat Cynthius eſſe ſua,
Callidus aut Phœbo, FRENCELI, ſurripuiſti;
Aut malus ille tibi hæc non ſua ſurpuerat.

Cornelius Martinus Antverpius, Pub. Logices Profeſſor in inclutâ Iulii.

Nec

NEc prece, nec precio, sed Marte paratus & arte
Hic est FRENCELIO non moriturus honos.

SALO-

SALOMONIS FRENCELII SACRORVM

LIBER PRIMVS.

AD SPIRITVM SANCTVM.

MAgne Gubernator rerum, Auspex magne laborum,
Dux hominum, & viui Spiritus alme DEI.
Ecquid felici sine te mens inchoat ausu?
Ecquid successu conficit illa bono?
Tu facis ingenii, manuumq; vigere labores;
Qui Duce te cepit, te Duce finit opus.
His etiam ergo precor, velut hactenus, annue ceptis:
Vt liceat molli nectere metra pede.
Hoc tua te supplex per Numina posco, per ipsam,
Quæ me desertum non sinet esse, fidem.
Pauperis ingenii, & teneræ rege mentis habenas:
Tu mihi principium, Tu mihi finis eris.

DEO

DEO AVSPICE LABORandum.

VIs bene, quicquid agis, cedat? committe laborem,
Spemque DEO. hæc fructus spondet; at ille dabit.

COMPARATIO SOLIS CVM Filio DEI, Seruatore Generis humani.

IVsticiæ appellat Solem Sacra Pagina Christum:
Quàm bene, Phœbæum si meditemur opus!
Cernimus, vt radijs Sol cuncta serenet amœnis:
Christus ita irradiat pectora luce suâ.
Ille calore animat penetrante opera omnia terræ:
Hic quoq; viuificat pectora voce sua.
Flammis Ille suis pallentes discutit vmbras:
Hic etiam è trepido nubila corde fugat.
Ille minora omnem diffundit in astra nitorem:
Hic nos Astra Astris splendidiora facit.
Denique non plures illo sunt æthere Soles:
Nec plures vno nouimus esse DEO.
O Sol Iusticiæ, nostri ne desere templum
Pectoris: absq; tuâ Luce nec vmbra sumus.

AMORIS

AMORIS DIVINI, ET SALVTIS Humanæ Firmitas. Rom. 8.

ECquis erit, cuius conatu, robore, technis,
Gratia nos magni deserat alma DEI?
An fortuna, fames, angustia, tristis Egestas?
An Martis rabies? vel graue Mortis onus?
Nil minùs: imò aliud rebus solamen in arctis
Erigit assiduis pectora fracta malis.
Nempe quòd haud vllis vnquam diuellere possit
Insidijs quidquam nos ab amore DEI.
Non quisquam Aligerûm cœli, non vlla Tyrannis,
Non Mors, non vitæ functio, non Satanas.
Nil præsens aliud, nil absens, nilq; profundum,
Nil sublime, nihil quod capit orbis opus.
Ille amor, Ille Patris, quem conciliauit IESVS,
Aeterno nobis tempore saluus erit.

Ἀλεξιφάρμακον

IN SVMMIS ANGVSTIIS.

PArce metu mea Mens: DEVS est, velut antè, si-
Viuit, amat, parcit, corrigit, ornat, alit. (delis:

IN FORTVNAM.

QVùm fortuna tonat, ne labere Mens mea, sursum
Respice: fortunæ, qui dominetur, erit.

LAPIS SCANDALI.

Ephe. 11.

FEruor Auaritiæ, ventosa Superbia, Egestas,
Arbitrium & freno liberiore furens:
En hæ sunt pestes, en hæc sunt scandala vitæ,
Restituit Christus quam tibi morte sua:
Hei diuersa cohors! ah parua immunis ab istâ
Colluuie! ah tantis maxima victa malis!
Qui sub Cælicolûm, quitunq; es, ouare triumpho
Niteris, has pestes defugè: victor eris.

MISERICORDIA DEI.

Ezech. 18. & 33.

IPse DEVS patrio sic quondam est ore loquutus:
Ille Ego per vitam iuro IEHOVA meam:
Non vindicta mihi sic est iucunda, merentem
Vt cupiam æternæ succubuisse Neci.
Quin vt iter melius vitæ ingrediatur agendæ,
Et mecum æternos transigat, opto, dies.
O te propitium, vindex ter-maxime, Patrem!
Ecquis adhuc peccat, nec dolet, atq; sapit?

VIS AMORIS DIVINI.

Iohan. 3.

MOrtales tanto DEVS est complexus amore,
Vt bonus Vnigenam miserit Ipse polo!

Noluit alterius reparari morte salutem,
Humanumq; sibi conciliare genus.
Nullus vt occumbat, sed ouans potiatur Olympo,
Qui locat in Domino spemq; fidemq; Deo.

CVM CHRISTO NIHIL PERICULI.

Rom. 8.

SI Deus à nostris stat partibus: ecquis in Orbe
Audeat hostiles conseruisse manus:
Quandoquidem Nato non parsum est, quò minùs ille
Victima pro mundi pura salute foret?
Et nobis cur non donaret habenda per vnum
Omnia tam mitis munificusq; Pater?

RELIGIONIS AMOR ET odium.

NOn odium est peius, quàm Religionis, Amorq;
Acrior, ac hauste Religionis amor.

DONIS DEI ET AETATE inprimis vtendum.

AD IVVENTVTEM.

VTere flore tuo; (volat irreuocabile tempus)
Vtere tot donis, casta Iuuenta, DEI:

Qui florem ætatis Satanæ, fecesq; IEHOVAE
Conſecrat, hic nunquam viuere dignus erat.

HVMANA INFIRMITAS.
Pſal. 103.

QVod flos in pratis, quod mobile gramen in hortis,
Id puer, idq; Senex, diues id eſt, & egens.
Quàm citò purpureum florem rapit impetus Euri,
Tam fera Mors hominem falce metit celeri.

PIORVM MORS INDICIVM futuræ cladis. Iſa. 56.

OCcumbit letho Vir ſeruantiſsimus æqui,
Nec quiſquam fati corde volutat opus.
Integros vitæ rapit inclementia mortis:
Et nemo aduertit funera, nemo ſapit.
Quippe pios aliena premat ne culpa, futuris
Plerumq; eripiunt prouida fata malis.
Excipit hinc illos mutatæ gloria vitæ:
Et pia fit tumuli molle cubile Quies.

IN TEMPLVM GRONINGENSE, nulli magnificentia ſecundum. Ab Illuſtriſsimo Principe ac Domino, Domino HENRICO IVLIO Duce Brunſ. & Lunæb. &c. conditum.

MAiores nobis ſtruxêre, Nepotibus ædes
Nos ſtruimus: pietas mutua dona facit.
Ergo

Ergo mei vt caſtâ te Relligione Nepotes
Voce pia, & toto pectore, Chriſte, colant:
Hanc HENRICVS ego ſtruxi tibi IVLIVS AEDEM
GVELPHIADES: pietas ſuaſit, amorq; tui.
Regifico proſunt quid ſtructa palatia luxu,
Si curæ nobis non Domus alma DEI eſt?
Sunt Delubra horti Superûm, plantaria cœli:
Cætera ſed fumus, ſed cinis, vmbra, nihil.
Manſuræ cœlo ſedes: terraq; caducæ:
Hic cita mors; illic vita perennis erit.
Fac igitur tua, Chriſte, ſolo ſic templa colamus,
Vt tua nos capiant tecta deindè polo.

IN LECTVLVM MEVM.

SOmnus vt eſt Mortis, ſic Lectus imago Sepulcri:
Vt tibi viuam olim; Chriſte tibi moriar.

Ad Deum, VT TRANQVILLE MORIAR. Pſ. 39.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino OTHONI Duci Brunſuicenſi, & Lunæb. tam Neſtorea prudentia, quàm Canitie inſigni Heroi Sacrum.

NIl ego, magne Parens, imo ſub pectore verſo,
Quod tu veſtiges non acie omne tuâ.

Scis, quoties claudo, quotiesq; sopore reſoluo
Lumina: Tu latebras, imaq; cuncta ſubis.
Omnes Tu fibras, corq; omne examine tentas,
Rimarisq; animi ſcita profunda, DEVS.
Siue eo, ſiue cubo; Tu me comitaris, & omnes
Proſpicis, ambiguo quas pede carpo, vias.
Nil efferre vnquam ſcit lingua, ſedetq; labellis,
Quam non præuideas, vocula nulla meis.
Ergo quid eſt reliquum, niſi Tu dictante miniſtrè
Flamine ſana tuo quò documenta mihi?
Fac igitur, certò ſtatuam, quòd terminus æui
Fixus ad extremam ſtet maneatq; diem.
Fac animo inducam, quòd vix ſim his ſedibus Hoſpes,
Tranandumq; aliò, per freta, reſtet iter.
Tu mihi te Comitem vaſtum, Deus, adde per æquor,
Naufragus inſidis ne peream ſub aquis.
Ah ne me, ne me, ne deſere maxime Ductor:
Erro vagus ſine Te: Te Duce certus eo.

SVMMA SAPIENTIA,
Noſſe Deum, & benè poſſe mori.

Symbolum Illuſtriſs. Princ. ac Dom. Dom.
ERNESTI D. B. ET L.

VAna omnis ſine luce DEI Sapientia: nobis (MORI-
NOSSE DEVM, ſumma eſt, & BENE POSSE
DOMI-

DOMINVS PROVIDEBIT.
Symbolum Illuſtriſs. Princ. ac Dom. Dom.
GVILIELMI. D. B. & L.

ESt orare meum: DEI fauere
Cordatis precibus: quid ergo fruſtra
Mordaci excruciem timore pectus?
Quin, vt ſorte fruar beatiori,
Ipſe noſter IOVA PROVIDEBIT.

DOMINVS PASTOR MEVS.
Pſal. 23.

Symbolum
GENEROSI ET MAGNIFICI Domini, Dom. ICONIS à KNIPHAVSEN in Eltern, & Vogelſang, &c. Herorois excellentiſſimi.

PAſtor meus IEHOVA
O ergo me beatum,
Reiq; non egentem
Vllius! ô beatum!
Sic regius Propheta, &
Rex Entheus canebat,
Quando excitárat illum

Serena mentis aura,
Generosa mentis aura,
Fiduciaq; feruor
Ardentis in Iehouam.
Tu magne KNIPENHVSI,
Flos ICO Frisiorum,
Idem: IEHOVA PASTOR
MEVS: frequenter ore
Et corde voluis imo.
Et ô bene! ô triumphans
Pectus, quod excitauit
In te DEVM colente
Serena mentis aura:
(Integritatis Index):
Generosa mentis aura
(Animositatis Index)
Fiduciaq; feruor
Ardentis in Iehouam:
Fidelitatis Index.
Hæc, ICO, vt excitatum,
Hæc, ICO, vt expeditum,
Hæc, ICO, vt expetitá
Victoriá potitum
Te signa semper ornent,
Te signa semper arment,
Te signa ad astra tollant;

Tu perge, perge lætá
Omns sonáre voce:
PASTOR MEVS IEHOVA.

DEVS OMNIA: HOMO LVTVM. Eccles. 17.

TEmpora dispensat, dispensat fata, labores,
Principium, finem, denique cuncta DEVS.
E cæno Omnipotens hominem formauit, eundem
in fœtens redigit, quod fuit antè, lutum.

A FVTVRA VITA EXCLVDENDI. 1. Corinth. 6.

QVis negat, æthereas Sedes non esse capaces
Agminis, in præceps quod malus Error agit?
Ah, tandem sapitis quicunq;, cauete, cauete,
Orbita ne vestrum deuia fallat iter.
Polluit obscœno quicunq; in fornice corpus,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Idolis quicunq; precum decernit honores,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Alterius thalamum quisquis perfœdat Adulter,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Sardanapalæo perdit qui tempora luxu,
Incola sydereæ non erit ille domus.

Infandos Sodomæ qui consectatur amores,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Qui bona furtiuis aliena parauerit ausis,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Diues Auaritiæ qui mancipat omnia turpi,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Crapula securum quem perniciosa fatigat,
Incola sydereæ non erit ille domus.
In sanctum qui horrenda iacit conuicia Numen,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Qui corradit opes per fasq; nefasq; rapinis,
Incola sydereæ non erit ille domus.
Hæc est Colluuies vastum impletura Barathrum:
Væ misero, his infert quem sua vita malis!

VITAM EMENDANTI VITIA non exprobranda. Syra. 8.

EXprobrare caue, famæ insidiatus, Amico
Crimina, declinat quæ meliore viâ.
Tecum habita, ad veniam facilis, semperq; memento:
Omnibus antiquam Mentis inesse lucem.

BONA FAMA. Eccles. 42.

CIrcumscripta breui, licet aurea, tempore vita est:
Fama sed haud vnquam nouit honesta mori.

PIO-

PIORVM VITA ET MORS DEO sacra. Rom. 14.

NEmo sibi moritur, nemo sibi viuit; vtrumq;
Acceptum fas est quemq; referre DEO.
Seu morimur, Domino morimur: seu viuimus, Ipsi
Viuimus: Ergo DEI, quod sumus, omne sumus.

Posterius distichon Melch. Tilesius V. doctissimus felic. fac.

PRAEMIA PIETATIS.

VTilis est pietas cunctis, quia præmia vitæ
Commoda promittit præsenti, certa futuræ.

CVRA DEI. Matth. 10.

AN non asse leui passerculus vnus & alter
Venit, auis Cereri pernicioſa nimis?
Et tamen haud vnus, nisi permittente Iehoua,
In terram vestros decidit ante pedes.
Immò omnes rerum numerauit Conditor idem,
Quotquot gestatis vertice quisq; pilos.
Ergo quis ô sese formidine vexet inani?
Passeribus præstat pluribus vnus homo.

ADMI-

ADMIRABILIS VICTORIA Christianorum ad oppidum SIXO in Vngaria. Anno sal. 1588. VIII. Octobris. recitatum ex tempore in Prandio Reuerendiss. & Illustriss. Princ. Episcopi Iaurienſis, in conſeſſu maximorum Procerum.

QVò tandem erumpet tua, Thrax, rabioſa poteſtas,
Paulatim paucis cum cadat illa viris?
Luna quibus lucem, quibus & Sol ipſe negarat,
His lucem aprico præbuit hoſtis agro.
Campum, lucem, animos Gens dementata miniſtrat,
Dum fidit nimiùm viribus illa ſuis.
Palma locum inſignit miranda cadauere multo:
Mille quadringentos obruit vnus ager.
Spes ſpacijs capit anguſtis, quos antè timebant
Rura patrocinio plurima fulta DEI.
Gratia debetur ſoli tibi maxime IESV:
O bone ſic cauſſam deinde tuere tuam!

NIHIL CASV, ET SINE DEO.

Symb. Reuerendiss. & Illustriss. Domini, Domini Conradi à Botmer, Abbatis ad D. Michaelem Lunæburgi.

Acci-

ACcidit humanis quicquid mirabile rebus,
Nil fit, quod cauſsâ, vel ratione caret.
Quòd ſi caſus iners hæc omnia fortè gubernat;
Et DEVS, & fatum nil niſi Caſus erunt.
Omnia, ſic certum fuerit, ſine lege moueri:
Nil temere at fuerat, nil fit, eritq; nihil.
Principium à IOVA rerum eſt: IOVAE omnia ple-
Quod non eſt DEVS, eſt nil, nihiloq; minus. (na:

PECCATI VIS ET EFfectus.

QVam peccata habeant faciem, quemcunq; colorẽ;
Et damnum fabricant ſemper, & excruciant.
Peſſima parturiunt namq; hæc duo præmia factis:
Nempe vt operta metum, ſic adaperta probrum.

IN NOMINE DOMINI.

Symbolum Illustriss: Domini, Dom. PAVLLI SIXTI TRAVTHSON, Comitis in Sprechenſtein &c. S. Cæſ. Matis. Conſiliarii intimi, & ſupremi Mareſcalci Imperii.

SI, tota quæ vniuerſitas rerum capit,
Summa omnia vno verbulo

Mihi

Mihi efferenda sint; nisi NOMEN DEI
Solum efferam termaximi;
Nil dixero. nam quid IEHOVAE nomine
Stupendius! quid sanctius?
Quid celsius, potentius, venerandius,
Quid ô quid est immensius?
In hoc, per hoc, ab hoc reguntur omnia,
Mundi capit quæ Machina,
O ergô felicissimus verè omnium,
IN hoc tremendo NOMINE,
Res qui suas, adeoq; totius genus
Vitæ quietus collocat!
Non vlla vis, non vlla fraus illi incubat,
Non ipsa mors, non Tartarus.

AD CHRISTVM.

Ex præscripto Illust. V. Dom. IACOBI CVRTII à Senftenau, S. Cæs. Matis. Consil. intimi, & S. Rom. Imp. Cancellarii incomparabilis.

Ach ein Sünder
Geborn / gelebt / gestorbn bin ich:
Christe mein HErr
Ernehr / vergieb / aufferweck mich:

Ich

Ich bin gleubig /
Erhalt / verkler / mach Selig mich.

Hei peccator ego nascor, viuo, morior q;:
Christe ale me, veniam largitus & eripe letho:
Fidentem serua, tecumq; in honore repone.

PIETATE, CONSTANTIA, labore.

Symbolum Illust. V. Dom. IOANNIS CHRISTOPHORI ab Hornstein, Sac. Cæs. Matis. Consiliarii intimi.

IAm Cycnæa meos velat sine labe capillos
Canities: nec me sors minùs æqua premit.
Maiorum decus vna fuit mihi cura tueri
Huc vsq;: hæc eadem pòst mihi semper erit.
Quæq; Duces hoc in pulcro mihi calle fuerunt,
Dum fuerit vitæ copia, semper erunt: (& vrgens
Vera animi PIETAS, sapiens CONSTANTIA,
Cepta LABOR: tribus his vita peracta mihi est.
Hinc Consulta pius me traxit ad intima Cæsar,
Et Proceres inter iussit habere locum.
Iam vitæ satur occiduæ, cupiduſq; perennis,
Aspiro his Ducibus Victor ad astra tribus.

DI-

DICTVM D. HIERONYMI.

QVi regnũ affectat Christo cum Principe, luxum
Negligat, & mundi delitiantis opes.

DE ANNO OCTOGESIMO Octauo, ad MART. KINNERVM à Schertfenstein, Virum sapientia, & virtute præstantissimum.

ENille ingreditur tandem octogesimus Annus,
De quo tot Vates tristia fata canunt.
Non equidem sese DEVS ad præsagia cœli
Alligat: haud astris flectitur, astra regit.
Stellarum tamen errantûm coniunctio magna
Vix poterit paruas conglomerare vices.
Rideat hoc, quicunq; volet: risisse pigebit:
Scire mihi satis est; non meliora sequi.
Crede mihi, octauus trahet octogesimus annus
Aut finem, aut rerum grande ciebit opus.
Id penes est vnum, qui temperat omnia: nostrûm est
Fundere solicitas nocte dieq; preces.
Fallor? an Effectus sequitur, dum cuncta fatiscunt,
Vndiq; & horrendis motibus orbis hiat?

DVO

DVO INPRIMIS CVRANDA: Deus & bona Fama.

Symb. Illust. & Generosi Dom. Dom. GEORGII Comitis à VVitgenstein, Canonici Argentoratensis &c.

PRima mihi cura est Numen, cura altera Nomen:
Hæc duo sunt vitæ Norma decusq; meæ.

ALITER.

OMnibus in rebus Christo Duce, & Auspice nitor,
Et tueor famam, quá decet arte, meam.

ALITER.

QVicquid ago, Te Christe voco mea in ardua vota:
Deînde meæ famæ consulo, quicquid ago.

ALITER.

EST mihi thesaurus DEVS, & Mens conscia Recti:
Quid me'eus cœlum, quid mihi terra daret?

C INSI.

INSIGNIA

Reuerendi & ſpectatiſſimi Domini IOANNIS FENGERI, Abbatis in Cœnobio Imperiali LVCA.

VIta in corde hominis; Lux Mundo à lumine cœli
Terra animã inſpirat Floribus alma ſuis. (eſt;
COR, STELLAS, FLORES FENGERI Inſignia
Signa hæc vt placeant, res meditare diu. (cernis:
Suſtinet Abbatis FENGERVS nomen, & almum
Munus, & hinc duplici munia laude ſubit.
Cœlica LVX Illi CORDI eſt, nempe vnicus ille
Virginei Partus FLOS, nitidumq; IVBAR.
Prò Cor, Flos, Stellæ, quàm multa & magna figurant!
Præſulis hoc Munus; NOSSE, & AMARE DEVM.

IN DIE B. ANDREAE APOſtoli.

Ad Magnificum V. Dom. ANDREAM HANNIVVALD in Rotenſirben, & Pilsniz, S. Cæſ. Maᵗⁱˢ. Conſil. & S. Rom. Imperio à Secretis.

ANdreæ, egregio cuius tu nomine gaudes,
Hæc quia ſacra dies eſt, celebranda tibi.
Ne moueare, quòd hæc pluuiis ſit turbida denſis:
Mors etiam ἀνδρέᾳ turbida Vatis erat.

Et

Et quid noſtra aliud vita eſt, quàm turbida rerum
Tempeſtas? dubiis quot mala mixta Bonis!
Nube tamen pulsà ſolet ire ſerenior aura,
Poſtq; graues motus læta redire quies.
O ita poſt nubes hodiernas, opto, recurrat
Hæc recolenda tibi ſæpe SERENA dies.
Gaudia tot veniant, hodie quot nubibus æther
Horruit ANDREA; quot cecidêre niues.
Denique te accipiat, cepit quæ Patria Vatem:
Namq; hæc tempeſtas Vita, futura quies.

AD NOBILISSIMVM OLIGERVM ROSENCRANZ G. Regni. Daniæ Senatoris Filium, Virtutis & dignitatis paternæ hæredem, ſummi ingenii, & exquiſitæ doctrinæ Virum.

ASpicis, vt ſpinas Roſa floreat inter, odore
Perſuauis, ſucco commoda, pulchra comis!
Dulce dedit nobis nomen ROSA Fratribus: inter
Hinc mundi Spinas creſcere quemq; decet.
Creſcimus, vt tua nos decerpat Dextera IESV:
Sic iuuat â tenerâ nomen habere Roſa!

CALENDIS IANVARII, Anno Christi 1589.

Illust. Dom. Dom. IOAN. FRIDERICO HOFMAN, Lib. Baroni, Consil. Cæs. summo ingenio Viro, XENIVM.

VIximus, & fatis numerosum exegimus Annum,
Alter adest fatis horridus, & numeris.
Et fatis, & sunt numeris sua vota recluſis:
Extremi ô numeros temporis innumeros!
Sed quæcunq; tamen speranda, timendaue fata,
Mitescent aliquâ conditione precum.
Debeo multa tibi; sed quæ maiora rependam,
Quam si, I ANE, ratas dem, FRIDERICE, preces?
Has cape: VIVE DEO. nec plus: hæc Summa beata,
Si rogitas, quæ sit vita? dicata DEO.

DE EISDEM.

Amplis. & Doctiss. V. EBERHARDO à VVEIHE, Consiliario Hassiaco XENIVM.

ANnus habet finem vetus, & Sol transiit astra:
O habeant finem pessima fata suum!

An-

Annus init cursum nouus, & Sol astra reuisit:
Principium ô capiant optima fata suum!
Sed quoniam surgunt scelerum portenta nouorum,
Tempora promittat quis meliora sibi?
Stat tamen æterni fata inter acerba Parentis
Semper in Electis prouida Cura suis.
Tantum opus est precibus, quæ sola medela malorum:
Hæ vincunt, quod vis vincere nulla potest.
Has cape fatorum comites mecum, ô bone VVEIHI:
Officium hoc nostrum est: cætera cura DEI.

RODVLPHO II. IMP. ROM. PIO felici,

De allato Nuncio capti Iaurini.

OVtinam sint vera, celer quæ Nuncius adfert,
Corruat vt Scythici vis truculenta lugi.
Pro CRVCE pugnemus, vincamus vt in CRVCE
„ Sit secura minus, sit diuturna Fides! (*solâ,*
Quicquid fata volunt, per te voluisse videntur:
Viue igitur nobis, viue RODVLPHE, diu.

VINDICTA.

VIs vindicta suum tibi rectè accommodet ensem?
Nec sitias illam, nec cupidè esurias.

ANAGRAMMATISMVS

Ex nomine nobiliſſimi V. CHRISTOPHORI à LOS, Equitis Miſ. Conſil. Cæſ. & S. Rom. Imperii Theſaurarii.

CHRISTOPHORVS à LOS.

O horas! plus Chriſto.

QVis neſcit, pietas quæ degenerante Luporum
Concilio in fanis vana, profana ſonet?
Dant fixas precibus ſine mente loquacibus horas:
Quorſum? vt defunctis ſit rediuiua ſalus.
Scilicet! ô HORAS! PLVS CHRISTO debet
Mortis, & antè, cui cura ſalutis, homo. (in horâ
Hoc quotiam me, CHRISTE, meum nomen monet;
Dem tibi, da mihi te: ſic tibi cuncta dabo. (vt plus

QVANDO DVPLICANTVR LATERES, VENIT MOSES.

Symb. Patris mei ὁμωνύμου, vnicè colendi, Senis Septuagenarii.

ETſi ita ſit viſum Superis, immota voluntas
Stat quibus, aſſiduo iactet vt in pelago.
Non tamen abſiſtam cœlos onerare precando, &
Forti omnes caſus extenuare Fide.
Tandem aſpirabit tandem mihi mollior Aura:
Moſes, quùm Pharao trux onus auget, adeſt.

DEVS MEA REQVIES.

Symb. ELISABETHAE MOIBANAE, Matris meæ dilectiſſimæ.

TOto cura die cùm pectus roſit anhelum
Anxia, ſuccedit nocte petita quies.
Namq; ego faſciolis lecti mox implico curas,
Quamprimùm ſolitas ſum meditata preces.
Non quemuis id poſſe ſcio: quia pluribus atrâ
Sæuiùs infeſtat pectora nocte dolor.
Iſta meum firmat ſed Nomen Gratia IOVAE:
Namq; DEI dicor, quam dedit Ipſe, QVIES.

IN DIE S. CHRISTOPHORI.

Ad CHRIST. PELARGVM, Theologum Clariſs. Virum vndequaq; doctiſſimum.

SIue tibi nomen ſolum, ſiue attulit olim
Et lucem, & nomen, Clare vir, hæcce dies:
Si qua ſubeſt, curam depone, exporrige frontem:
Atq; ex more dapes inſtrue, pone merum.
Quodq; caput rerum eſt: Chriſto perſoluito grates,
A quo tu vitam, nomen, & omen habes.

Sic tibi, Christophore, hæc redeat lux læta tot annis,
Quot tua transegit candida vita dies.
Et, quam cepisti pedetentim ascendere, Christo
Te ferat ad summum scala vehente gradum.

VOLENTE DEO.

Symb. Nob. & Amplis. Viri IOANNIS LERCHENFELDER, Senatoris & Camerarii Ratisbonensis.

QVod vult Ipse DEVS, volo: non volo, quod DEVS
haud vult:
Cuncta velint aliter, quàm DEVS, haud moueor.

ALITER.

QVid tecum fortuna mihi? quid perfide Liuor?
Nil volo, quod tu vis: cuncta, volente Deo.
Illi nulla nocet vis, nulla calumnia mendax,
Qui vult propicio cuncta volente DEO.

IDEM. SYMB. NICOLAI REICHELII, V. amplissimi, S. Cæs. Maiestati à Secretis.

Pendet

PEndet ab arbitrio diuino humana voluntas:
Cuncta VOLENTE DEO, nil alioqui volo.

IN DIE GEORGII EQ. CAPPADOCIS.

Ad Nob. & magnificum V. GEORGIVM à DHYRN &c. Eq. Silesium, Patriæ Lumen.

EN tua Natalis lux hæc est ipsa Georgi,
Tecta tuæ repeto qua benefida domus!
Non hic omen abest: natalia dicere vota
Ipsa dies, iungor quá tibi, nempe iubet.
Agnosco officium, toto quod tempore vitæ,
Non tantùm hac vná luce, frequenter agam.
Principium hoc esto: Gens ô Dhyræa Georgi
Natalem digno semper honore colat:
Cuius honore cluet. Tuq; ô generose GEORGI
Hunc serò celebres antè DEI faciem.

AVXILIVM A DOMINO.

Symb. Illustris. Dn. Dn. ADAMI à DITRICHSTEIN Lib. Baronis, Consil. Cæs. intimi, & supremi Aulæ Magistri.

Nil metuo, quæcunq; senem me fata fatigent: (meum
AVXILIVM A DOMINO nam venit omne

VIVE VT VIVAS.

Symb. Domini GEORGII CHISEL à Chiselstein, &c. Consil. Cæs. Viri generosi, & verè nobilis.

VT viuas aliam, vitam hanc sapienter adorna:
Velle tuum æternùm viuere, velle mori est.

DEVM SERVARE SVOS INTER medios hostes.

HENRICO ABRAHAMO EINSIDEL à Scharffenstein, Eq. Mis. Ordinis sui ornamento.

ESse quid hoc dicam, quòd te indulgentia fati
Eripuit mediâ morte, dolore, dolo?
Elapsus vinclis hostilibus ergo triumphas?
Et meritò: in mediâ reddita vita nece est.
Insidias infanda tibi fallacia struxit:
Propterea ne putas, omnia tuta tibi?
Est aliquid superare dolos, culpaq; vacare:
Ast alia est de te sospite caussa mihi.

Inge-

Ingenio qui te diuino armauit, & arte,
Qui vitæ vsuram, qui bona cuncta dedit:
Is te, Einsideli, studia ad maiora reseruat,
Nec vanum Is per te præmeditatur opus.
Exitus vt probet ista; tua est virtutis; abundat
Spe patria, & Pater, & quos tibi iunxit amor.
Debes multa Patri: debentur plurima Amicis:
Sed Patriæ debes, quod dedit illa tibi.

CAVSAE BONAE EVENTVS.

FAta viam inuenient, & erit post Nubila Phœbus:
Nam promissa DEI fallere nulla queunt.
Nec spes præcipitat quenquam, quæ Numine nixa est:
Stulte facesse timor: nos bona Caussa iuuat.

EXORDIVM ANNI.

ANDREAE CLVDIO IC. Consil. Brunsv. & in IVLIA Antecessori, Viro amplissimo, & doctissimo XENIVM.

ENiterum IANI seclo properante Calendas
Attigimus: grates soluimus ergo DEO.
Tempora sed quoniam postrema subinde videmus,
Pro meritis hominum, deteriora sequi:

Adiun-

Adiungenda precum est ad grates gratia: nempe
Hoc, si quoquam alio, gaudet honore DEVS.
Hic igitur fatis vt eat tibi mollibus Annus,
En votum Xenii nuncupo tale loco:
Vtere consuetis rerum successibus: vtq;
Omnia succedant, viue in amore DEI.
Candide multorum hoc instar votum accipe CLVDI:
Accipe: nobilius non mihi munus erat.

DEVS AVXILIATOR IN ADuersis, contra Spem in Spem.

Symb. THOMAE HENISII, Consulis Boleslauiensis, viri præstantissimi.

REbus in aduersis, quas fata DEVSq; volutant,
Præsidium nobis fata DEVSq; ferant.

ALITER.

REbus ab aduersis, quas sors iniuria versat,
Nos rerum Dominus vindicet, Ipse DEVS.

ALITER.

REbus in aduersis, quas æquis flectit habenis
Ipse DEVS, quis nos protegat? Ipse DEVS.

ALI-

ALITER.

REbus in aduersis, quæ fati lege reguntur,
Auxilium fati Conditor ipse ferat.

IPSE FACIET.

Symb. IACOBI MONAVII, Patricii VVratisl. Illustris. Ducis Lignicen. & Brigen. Consiliarii, Viri merito suo celeberrimi.

QVid tibi mentis inest? quoties penè ora resoluis,
Protenus exclamas: IPSE DEVS FACIET.
Ecquid MONAVI faciet? nec doctus Apollo,
Nec Fortuna tibi dextra negauit opes.
Fama per ora virûm volitat: Mens conscia recti est:
Fixaq; in æterno Numine vera fides.
Non DEVS hæc fecit? si fecit; plura quid optes?
Ne qua tibi desint, IPSE dein FACIET.
Cui nihil optandum plus est præclare Monaui,
An non ex omni parte beatus homo?

IDEM

MEns mea sursum oculos tolle, vt potiaris Olympo,
Illic, quæ cupies, IPSE Deus FACIET.

Si

Si DEVS hæc faciet, superá qui regnat in Aulá,
Quin tu sursum oculos Mens mea tollis humo?

IN DIE B. MARTYRIS LAVRENTII, Anno Christi 1595. Qui Natalis est LAVREN. SCHEVRLAEI, S. Theol. Doctoris, Superatt. Generalis, & Professoris Iuliæ, Viri excellentissimi.

ECce, tuo gaudet quæ nomine, tota serena est
Ista dies! & tu gaudia nonne capis?
Tota serena precor, Laurenti, sæpe recurrat
Ista tibi, ac tandem gaudia summa ferat.
Vt nomen quibus vnum, atq; vna Professio, quondam
Vna sit in cælo Patria, & vnus honos.

IN EVNDEM. 1596.

CRastina Lux, tua dux, tua crux, tua vox, tua vi-
Nā lux, crux, dux, vox, hac tibi parta die. (ta est:
Hinc te LAVRENTI Laurus cœlestis obumbrat:
Stc Lux, dux, crux, vox, omnia summa ferunt.

IN

IN EVNDEM. 1597.

AN dedit hæc vitam tibi Lux Scheurlæe? serena
Vita serena tibi fata serena dabit. (est:

IN EVNDEM. 1598.

CErnis, vt agglomeret præceps incendia Pestis,
Surgat & irato vis metuenda DEO?
Nil mirum: crescit crescente libidine pœna:
Nullaq; vis contrà est, quàm Medicina precum.
Ergò venenatos aduersus muniat ictus
Quisq; salutiferá seq; Suosq; Fide.
Exserit hæc sese in precibus, fertq; excita fructus,
Spemq; DEO nixam succubuisse vetat.
Pro Me, proq; Meis feci; pro Teq; Tuisq;
Hoc etiam facio vota secunda die.
Idq; hæc ipsa tuo Lux nobilitata meretur
Nomine: poscit amor noster, & alma fides.
A Laribus procul ergo tuis sæua absit Erinnys,
Nosq; simul magni protegat Ala DEI.
Ipsius in laudes vt eamus longiùs, æui
Vt ratio nostri constet, & officii.
Sic, Scheurlæe DEI bone Præco, fata retexant
Hanc tibi florenti sæpe quieta Diem.

DEVS

DEVS. DVX FORTVNAE.

Symb. PAVLLI GITSCHINII, Viri integerrimi.

QVi dux est vitæ, rerum certissimus Autor,
Fortuna DEVS est Duxq; Comesq; meæ.

ALITER.

SI DEVS est Autor, si Dux est vnicus æui,
Cur non fortunæ Dux foret ille meæ?

ALITER.

QVi Dux est vitæ, DEVS est rerum arbiter æ-
Idem est Fortunæ Duxq; Caputq; meæ. (quus,

DESINENTE AVXILIO HVMANO incipit diuinum.

Symb. VALENTINI FORSTERI Consil. Brunf. & Ordinarii in Iulia, magni Iurisconsulti.

QVùm nil auxilii', nil consiliiq; relictum est,
Haud temere ærumnas ingeminante DEO:
Vis

Vis immota precum, fideiq;, meæ la dolorum,
Audet Olympiacas tum penetrare domos:
Tum vultus, DEVS, ante tuos procumbimus ægri,
Et clamore piam solicitamus opem
Audi igitur gemitus, ô Spes, ô Anchora nostra:
Consilium & nobis suggere, & auxilium.
Hæc duo si dederis, etsi fremat omnis Auernus,
Nostra potest nullus frangere corda timor.

PIE ET MODESTE: DOMINVS prouidebit.

HIERON. CVNZII, Medicinæ Doct. Viri excell. Symbolum.

VNa meæ Pietas, & amica Modestia vitæ
It Comes: ad Superos his ego tendo viam.
Quid querar? ipse omni DEVS omnia prouidet æuo:
Prò cum hac quæ Pietas dona Sorore capi!

IN PICTVRAM.

MOrs tenet amplexu serpentem: subiacet Euæ (tit.
Iunctus Adam: hunc mortis longa sagitta pe-
Quid Christus? dextrâ Mortis caput acre, sinistrâ
Serpentis quatit; hinc læta tropæa refert.

Mors, Serpens, Adan, Eua, & Christus in ordine tali?
Quid mirùm? miro est ordine parta salus.

ANAGRAMMATISMVS,

Ex nomine DIOAN. ab VSTLER, Consil. Brunf. Viri consultissimi.

IOANNES AB VSTLER.

In re bonâ laus est.

QVis non laudi inhiat? sed quantus abusus vbiq;!
Hoc fucum & fumos tempore Mundus amat:
At mea, quam sector, laus hæc est maxima & vna,
Posse placere DEO, posse placere Bonis.
IN RE nempe BONA LAVS EST, nomenq; mei-
Hanc extra si quæ gloria, fucus ea est. (remur:
Christe fauente mihi, tua gratia, laus mea; namq; hæc
Sola bona & summi est vnica cauſſa Boni.

ANAGRAMMATISMVS

Ex nomine IOAN. BODENMEIER, Duc. Brunf. à Secretiſs.

IOANNES BODENMAIER.

Anagrammat.

En mea DOS, ire in Bona!

Non

NOn equidem aſpernor Bona, quæ fortuna minitrat,
Hæc quia promanant à Bonitate Dei.
Sunt potiora tamen, quæ contulit omnibus vnus
Ille DEO DEVS & virgine natus homo.
Hæc verè bona ſola Bona! hæc ego denig; ſector,
Vt ſim perpetuò dives, & ipſe Bonus.
EN igitur ME A DOS IRE IN BONA: Sed BONA
Nam quæ terra fouet, fluxa, caduca BONA. (cœli:
Hanc ergo Dotem, DOS ô mea maxima, Chriſte,
In tua vt ire queam Regna, relinque mihi.
Omnia Fortunæ Bona nil niſi fumus, & vmbra:
Hæc mihi dum DOS eſt, ſors mihi lauta ſatis.

TEMPORANEA, CADVCA.

Symb. Illuſtriſs. Dn. Dn. FERDINANDI HOFMAN. Lib. Baronis, Conſil. Cæſ. & Imperialis Cameræ Præſidis, herois inſigni prudentia præditi.

QVi ſapis, AETERNVM quodcung; eſt, expete votis:
Quod circumſcriptum eſt tempore, id omne perit.

FINIS LIB. I.

LIBER SECVNDVS SACRORVM.

Generoso & magnifico Domino,
Domino ICONI AB INHAVSEN,
ET KNIPHAVSEN:
Libero Baroni in Eltern, & Vogelsang/ &c.
Frisiæ Orientalis Lumini:

SAL. FRENCELIVS
S. P. D.

MEministi, Baro, quàm studiosè comiterq; ad amicitiam mutuam me inuitaris, & quidem in Augustâ Cæsaris, lectissimus tum Ordinum FRISIAE tuæ Legatus. Ab eo tempore semper magni te feci: virtutesq; tuas passim prædicaui: quòd humanissimè te gereres erga cuiusuis conditionis Viros bonos: quæ nota est singularis prudentiæ, ac luculentæ eruditionis: quali plurimos, vel infimi etiam ordinis homines, Vir tute illustris, longis post

post te parasangis relictos, immortali tuâ tuorumq; cum laude vincis. Cepi autem te in carissimis habere: postquam cum voluptate accepi, facere te mei ad Amicos perhonorificam, eamq; crebram mentionem: non solùm, quòd beneuolentiam magnorum Virorum plurimi æstimem: sed quòd inprimis gaudeam, caussas tibi esse mei amandi, tantuli! Quid ni igitur in hoc vnicè enitar, vt animum tuum perpetuâ in te obseruantiâ mihi confirmem, ne memetipsum τῆς ἀχαριστίας atramento denigrare videar. Doleo tamen, nec parum doleo: vires mihi ad hanc rem deesse. Verùm interea memoris animi significatiunculam tua non aspernabitur humanitas: si rectè te noui: hoc videlicet munusculum: dum sequatur, quod tuâ amplitudine dignum meditor monumentum. Quin in spem optimam venio, non minùs gratum tibi futurum hunc paucarum pagellarum libellum: ac si grande esset volumen: vel ideo, quòd Sacra contineat, quorum te obseruantissimum esse, non ignoro. Quæ spes si me non frustrabitur; quantum putas abs te accessurum in me beneficium? Sed quid frustretur, cum, quod in fronte epistolii huius de humanitate atti-

gi, adeo sit verum, vt te non secus atq; oculos meos diligam. Nec magnopere rogo, vt in me redamando constantiam adhibeas: ne videar idem affirmare, idemq; negare. Saltem hoc abs te peto, nobilissime Baro, vt valetudinem tuam quàm diligentissimè cures.

Et quia decessit vetus, & nouus incipit annus,
Temporaq; elapsis deteriora ruunt:
Hunc tibi fortunent Superi florente senectâ:
Hæc generosè mea est strena ICO: viue, vale.

Ex Iuliâ Calendis Ianuarii Anno sal. humanæ M. D. XCIX.

IN DIE NICOLAI.

Ad magnif. & nob. Virum Dn. NICOLAVM EIK, inclitæ Reip. Rigensis Burggrauium, & Scholarcham &c.

NICOLEO vati, cuius tu nomine gaudes,
Hæc est sacra dies, & tibi festa dies.
Grata DEO est pietas, rem sacram impendere Sacris:
Sepè tibi vt redeat lux sacra, funde preces.
NICOLE viue, vale, faueat fortuna, Deusq;:
Cui fortuna fauet, cui DEVS, ille valet.

IN

IN DOMVM SIMEONIS CAMERITAE, Consulis Pragensis.

HAEc Domus est Camera; haud dubiè dilecta Iehouæ:
Nam, qui struxit, amãs est CAMERITA Dei.
Quam Pietas habitat, summis licet ima volutet
Extera vis, Domus est tuta, tegente DEO.

DEO, REIPVB. AMICIS. Symbolum Magnifici & nobilis. Viri HENRICI à SENIZ, Eq. Sil. Patriæ ornamenti.

NAscor homo, non brutum animal: cui? num mihi
Hæc à mẽte meâ, vox sit & ore procul. (rãtum:
Qui me hominem feçit, vitalesq; indidit auras,
Primùm tota mea est vita sacrata, DEO.
Vendicat hinc partẽ de me RESPVBLICA: partẽ
Vsus AMICITIAE quos mihi iunxit, habent.
Hæc vita est: extra hanc non vita; sed horrida mors
Qui bene vis operam ponere, pone DEO. (est:

AD TITVLVM PRINCIPIS, in Albo Amici.

HIc ego nil, nisi liuidulî sum fabula vulgi:
In regno ô Princeps sim, bone Christe, tuo.

HENRICO BOETHIO. S. THEOL. Doct. & in Iulia Professori, Viro doctissimo.

IEssei exponas cum Pubi carmina Vatis,
Et doctâ tractes regia plectra manu:
Carmina quid mirum, si pangas sacra BOETHI,
Et duplici celebres ore stylóq; Deum?

PIETAS PERSECVTIONE viuit.

Symb. PHILIP. PEVCERI. C. Filii, Viri præstantissimi.

ECquid, ô mea mens, timore torpes,
Quod sensu meliore mancipatam
Christo te Satan impetit superbus?
Quin te crede DEO, nihilq; cede.
Namq; ipso PIETAS verenda vultu,
Vinci nescia persecutione,
VIVIT deniq; PERSECVTIONE.

ANTE OMNIA DEVS.

PRImùm quære Dei Regnum; tum cætera plenis
Assundet calathis, quæ petis, Ipse Deus.

MEMO-

MEMORARE NOVISSIMA, ET in æternum non peccabis.

Symb. IOAN. BREITHOR, Ducatui Glogouiensi ab Epistolis, viri ornatissimi.

ECquid te, mea Mens, vt agas sine crimine vitam,
Assiduo exercet cura laborq; metu?
Quin age solicitis metire nouissima quæq;
Articulis; finem prospice, quicquid agis.
Officii hæc te cura tui, fatiq; monebit:
Vitam ita perpetuùm crimine purusages.

IN POEMATA SACRA MEL. NEOFANII, Theol. eximii.

MElchior, inspexiq; operas, operûmq; tuarum
Finem, atq; hoc placuit nomine Musa mihi.
Musa tuo ingenio similis: quia dedita Sacris:
Munere digna tuo, nomine digna tuo.
Ergo tuo Moses viuet celebratior Oestro:
Ergo tuus Mosis nomine viuet honos.
O quantum est, in laude Dei pulcrè esse disertum!
Mente, stylo, ore Deum qui colit, ille colit!

Sorg/vnd sorg nicht zu viel/
Es geschicht doch/ was Gott wil.

Symb. ANDR. HENTSCHII Consul. Budissini, Viri prudentissimi.

DA curis aliquid: nimium dare, stulta Tyrannis:
Fit tamen hoc, fieri quod DEVS ipse iubet.

Ach Gott/ begnad Hoffnung.

Symb. ANDR. VVESTPHALI, Syndici Budiss. V. præcellentiss.

SPem foueo, & voueo tibi mi Deus: assere votam
Iure tibi: sic me fallere fata nequit.

INSOMNIA,
Ad Patrem meum.

ME funesta, Pater, toties insomnia torquent,
Non possim vt vitæ non metuisse tuæ.
Nulla fides adhibenda quidem: nam fata gubernant
Omnia: præsagit nox noua sæpe tamen.
Affectus Natura suos, per somnia, terret:
Hinc agitat fessam sæpius illa animam.

At

At si hoc est voto DEVS exorabilis, oro:
Lustra addat lustris vt geminata tuis.
Nam quid dulce magis soboli, quàm chara parentum
Ora videre, pios & bibere aure sonos?
Si tamen hoc voto non exorabilis ille est,
Mens nostra est fatis subijcienda piis.
Illa viam inuenient vitæ melioris ad vsum,
Nescia quæ finis, nescia labis erit.
Quòd si istuc modò fata vocant te munere functum,
Quâ pietate decet, quâ decet arte, Pater:
Nos tamen omnipotens Genitor non deseret orbes:
Tu verò æternâ laude superstes eris.

AD EVNDEM.

CÙm spes nulla subest, neq; res sese exerit vlla:
Fata viam, mentem, consiliumq; docent,

PVRPVRA CHRISTI.

VEstem, Christe, tuam da murice suauè rubenti
Pictam humeris aptem consolidemq; meis.
O sed candidulam posthac superindue, quando
Pars fuero regni quantulacunq; tui.

DEO PARERE LIBERTAS.

Symb. D. POLYC. LYSERI &c. Theol. clarissimi.

QVisquis ab arbitrijs hominum dependet, is intra
Seruitij metas spemq;, metumq; iacet.

LIBER-

LIBERTAS seruire DEO sed & optima, & vna
Hæc mihi seruitii decutit omne iugum. (est:
Ducentem sequor, & Mandanti pareo: sic si
Arbitrio haud hominum seruio, liber ego.

EXCVBIAE DIVINAE.

SEdibus excubias pro nostris ô age IESV,
Nam quis Custodum est te mage, Christe, vigil?
Quòd si hoc officium pro nobis non facis vnus,
Nostra abit in ventos sollicitudo, & aquas.

IN EFFIGIEM MEAM.

EXactis septem, adiunctâ trieteride, lustris
Talis eram: reliquum temporis omne DEI est.

Fac An. Christi 1588.

CALENDIS IANVARII: An. Dom. 1598.

Ad NICOL. RHEDIGERVM à Strisa, magni Parentis magnum Filium.

ANnus adest nouus, & noua Spes, metus & nouus
It comes: hæc inter nam duo vita ruit. (anno
Optima sperantur; metuuntur pessima: sed spem
Firmant vota, metum diminuuntq; preces.
Si repetenda precum fuit vnquam Summa piarum,
Nunc est, nunc opus est, solicitare Deum.
Ecquis enim, facies quæ sit tristissima mundi,
Non videt, & toto horrescit ad hanc animo?
Ergo ordire nouum votis ardentibus annum,
Et tandem precibus, NICOLE, claude piis.
Sic spe vince metum: sic tu RHEDIGERE, secundo
Omine, ceu pulcro nomine, victor eris.

IN MEA INSIGNIA.

IPse pius Cæsar, mea gloria, LVX Q. RODVL-
Constituit Musis hæc Monumenta meis. (PHVS
En tres Laureolas! numero Deus impare gaudet,
Omen & huic numero nobile semper inest.
Prima, secunda data est olim mihi: tertia cœlo
Me manet, ætherei CAESARIS ante thronum.

AD CHRISTVM.

Programma Natalitii Carminis.

MAgne, cape hospitium paruum, Puer; Hospita desert
Et quæ dona tibi, consule CHRISTE, boni
Hospi-

Hospita Sponsa tua est; sunt, quæ fert dona, corollæ,
Quas Charites manibus composuêre suis.
Namq; quòd humanos non auersatus es artus,
Nil ea, quàm grates, quod tibi pendat, habet.

PATIOR, VT POTIAR. MEVM.

EX fatis pendent mea vota: vale improba cura:
Vt potiar, patior cuncta, tuente DEO.

VIRGO, RELIGIO.

Emblema M. VALENT. PISTORII, Ecclesiastæ Francof: cis Viadrum, Viri præstantissimi.

QVid cum non nudâ tibi, quid cum Virgine nudâ,
Copia cui florum, cui Liber, atq; peplum?
Expers Relligio fuci est: sic nuda: nec illa
Nuda tamen, fuci fraus vbi membra subit.
Nempe tegenda tegit; retegit retegenda: nec effert
Quid, nisi depromtum Codice, & Ore Dei.
Stellato hinc latè regnans diademate fulget:
Hincq; Bonis fructus fert bene culta bonos:
Iusticiam, culpæ veniam, mentemq; quietam:
Et quid plus? vitam, qua sine nulla salus.

PISTO-

RI, an poteras multis ex millibus esse
Nobilior Nymphæ nobilioris Amans?

DEO DVCE, VIRTVTE COMITE.

Symb. LAVR. SCHEVRLAEI S. Th. Doctoris, V. CL.

SIc DVCE cuncta DEO, COMITE & VIRTVTE cauenda
Inuidia vt Comitè exhorreat atq; Ducè. (pessam:

EIVSDEM.

Filiolæ SOPHROSYNAE recèns natæ, à me è sacro fonte susceptæ.

INterposta fides pro te, Virguncula, Christo est
Nostra, tuam vt Christo desq; probesq; fidem.
Crescè igitur, primoq; DEVM cum lacte vereri
Discè: hæc est fidei Regula, norma viæ:
Norma via, quæ nos, Christo Duce, vectat ad astra:
SOPHROSYNE, hanc præter nulla terenda ti-
Crescè igitur genio felici, corpore sano, (bi est.
Luce nouâ, castâ mente, piâq; fide.
Incrementa capit qui sic, Virguncula, viuit
AEternùm: moritur, qui secus. ista tene.

EIVS-

EIVSDEM.

Sacræ Fideiussionis TESSERAE inscriptum.

LOta & lauta sat es, quia Christi sanguine tincta (es:
Viue puella diu, cresce puella DEO.

ERNESTO FRIDERICO SCHEVRLAEO, Laurentii Filio, egregiæ spei Puero.

HVnc, ERNESTE, loco strenæ, à me sume Libellum,
Qui Romana apte nectere verba docet.
Te Patris instar amo: scis ipse, ERNESTE: fateri
Si modò vera, sequi si modò recta velis.
Natus es eximiis, Friderice, parentibus: & te
Ingenio ornauit nobiliore Deus.
Hæc duo me patrio tibi deuinxere fauore:
Carior, hæcce coles si duo, semper eris.
Discе bonas igitur, puer optime, nauiter artes,
Vt tandemq; scias omnia, discе DEVM.

AD DEVM PATREM.

DA Cor mihi IEHOVA,
Quod te sciat vereri:

Da quod tui calescat
Amore pectus acri:
Mentem Tui capacem,
Nec vsq; pertinacem.
Fac sint subinde iussis
Aures tuis patentes:
Fac perspicacibus Te
Oculis subinde cernam.

SVSPIRIA MEA IN GRAVISSIMO morbo.

QVòd me adeo pœnis exerces, Christe, seueris,
Pectore quam capiam spemue metumue meo?
Abijciamne animũ, quòd viribus omnibus haustus
Longa tori, stabam qui modò, strata premo?
Torret enim sitiens quouis iecur acriùs igni
Exceptá nullá febris anhela die.
Atteror hinc adeo languore, propinquior vt sim
Iam tumulo, thalamo quàm modò sponsus eram.
Verùm ideone animus mihi despondendus? at istud
Haudquaquam tua Vox me iubet: immò vetat.
Immò docet, summo quod me digneris amore:
Quem tua castigat dextra, beatus iò.

Ergo mali ſtatuant quicquid fata omnia de me,
Nil patiar; ſed ero tutus amore DEI.
Et timeam? quis me felicior, optime IESV?
Ecce mea in manibus vitaq; morsq; tuis!
Si vis, vt faciam & dicam tibi grata ſuperſtes
Longiùs, officii quod reor eſſe mei:
Quot placet, adde dies: vel, quot placet, abſtrahe:
Viuam magne tibi Rex, moriarq; tibi. (*ſaltem*
Eſt in delicijs cœlo, quem in tempore terræ
Deliciis DOMINI ſubtrahit alma Manus.
Quæ me cunq; manent tamen; vnum hoc, Chriſte, precabor:
Quod fuit, omne tegas: quodq; erit, omne regas.

προπεμπτικὸν

PAVLLO HOLZBECHER PATRICIO VVratiſl. Iuueni eleganti, & nobili.

DVm migras propere in philyræum, PAVLLE,
Vna ſit hæc vitæ Regula fida comes: (Lycæum,
Migrandum eſt: *reget hæc ſtudiorũ Regula curſum,*
Sic tandem ætheream Ciuis eris q; Scholæ.

SPES MEA VNICA CHRISTVS.

Symb. Nobilis & generoſi Domini VVENCESL. DIRSANOVII, à Dirſanou, Eq. Sileſii.

Spes

SPes mea Chriſtus, ais, ſola eſt. Vox nomine digna,
Ingenio, ſtudijs, & pietate tuâ.
Ah miſer, & melius ſi nunquam has iſſet in auras,
Spes alia in cuius, quàm tua, mente ſedet!
Quicquid enim eſt extra Chriſtũ, eſt tremor, horror,
Carnificina animæ, perpetuumq; mori. (*& error,*
Ergo ſpem retine, DIRSNOVI, remq; capeſſe:
Spes tua Res ipſa eſt: te modò crede Deo.
Nunquam confuſa eſt, quæ ſpes confiſa Iehouæ eſt:
Quem penes Vnus hic eſt, omnia dies habet.

IDEM.

Symb. D. PAVLLI HESSI VVratiſl. Viri excellentiſſimi, Illuſtriſſimi DVCIS Olſnenſis Medici.

PErfide Munde vale: & vos fata infida valete:
Quid mihi vobiſcum eſt? SPES MEA SOLA DEVS.

SVSTINVIT, SVSTINET, ET ſuſtinebit nos dextra Dei.

Symb. Magnif. & nobiliſs. V. VVENCES. à ZETLIZ &c. Illuſtriſs. Ducis Brig. & Lignicen. Conſiliarii.

ECquis ſuſtinuit nos, quàm Deus, hactenus? ecquis
Motus tot inter inſolentis ſeculi
Nos ſuſtinet, quàm Idem Deus?

Ergo quid insani metuamus fulmina Mundi?
Idem optimus nos sustinebit dexterâ
Pater suâ semper SVOS.

FAC OFFICIVM: DOMINVS prouidebit.

Symbol. D. LAVREN. SCHOLZII Medici VVratisl. Viri CL. & doctissimi.

QVicquid fecibus hìs ruentis Aeui;
Quò vix deterius fuit, futurum est;
Nil spe cassâ adeo mali extimesce:
Nec de sorte animum tuâ remitte:
Quin FAC OFFICIVM prece, & labore:
Ipse (crede) IEHOVA PROVIDEBIT.

IN CARMEN REINERI FABRICII de Excidio Hierosolymorum.

EXcidium Solymæ repetit miserabile carmen
Fabricii: rebus congrua verba cadunt.
Laudetur pietasq́, viri, studiumq́, laboris:
Est in conatu gratia sæpe pio.

DIEI

DIEI ET NOCTIS pensum.

RErum principium, aurorâ surgente, tuarum
Surgat, & officii tum memor esto tui.
Ast vbi nox curas abolet: tum facta diei
Dictaq́, solicitis respice cuncta oculis.
Et sic te componè DEO, tanquam vltimus æuum
Finiret, Christo tam veniente, dies.

ORANDO, SPERANDO, LAborando.

Symb. MAG. & Generosi Domini, Domini CHRISTOPHORI à SCHLEINIZ Lib. Bar. in Heinspach &c: Consil. Cæs. Imperialis, verâ pietate, prudentiâ, eruditione, & dignitate excellentissimi.

QVisnam oculis, & mente valet, nec cernit, vt (ætas
Hæc omni scelerum putreat illuuie?
Vt sit nulla fides, summam quibus esse decebat:
Nil magis vt tutum: ast omnia plena dolis.
Et tamen hæc lentè est peragenda Tragœdia cunctis:
Quemlibet in Scenas nam trahit illa suas.

Quid

Quid faciam? intrandum est. isthæc ludibria fati
Sunt toleranda. quibus sed superanda modis?
Tu mihi Lingua PRECES: tu SPEM Mens æqua
Vosq; manus operas, vosq; pedes facite. (ministra:
Est sua vis precibus: nec Spes sine robore: fructus
Nec labor est expers: cætera cura Dei est.

EIDEM LEGATO CAESARIO ad Principes Imperii: In cœná.

I quò te magnus Cæsar, Respub. quò te
SCHLEINIZI ablegat, quò pia Causſa DEI.
Magna tibi res est commissa: fideliter vrge
Hanc igitur: nec te deserat Aura DEI.
Cor regat, os flectat, corpus custodiat, & pòst
Te reddat nobis, Cæsari & Imperio.
Cæsari & Imperio qui munia consecrat æui,
Huic fauet Imperium, CAESAR, & ipse DEVS

EIDEM. Domum rediturò in Prandio volenti ex tempore.

TE sine felici nequeo dimittere voto:
Tantus (crede) Tui pectore regnat amor!
Nomine de cuius ductum geris, inclite, nomen
Sit tibi, sit Fratri duxq; piusq; comes.

Hoc

Hoc Duce tutus eris, SCHLEINIZI: plura quid
Carpe viam: Christi totus es, Ille tuus. (optem?

PRECEES.

SYdera qui longâ precularum ambage fatigas,
An credis, posse, aut velle iuuare Deum?

DVCE DEO.

Symbol. IOAN. à NOSTIZ, de Noes in Strenzano, ILL. DVC. Brig. & Lig. Consil. Capitanei Prouincialis Diœcesium, Stein, Rauden, & VVinzig, Viri & generis, & literarum splendore nobilissimi.

QVid tum, vastum adeò mihi quòd maris æquor
Excipiet Portu Me DVCE nempe DEO, (arandũs?
Iamq; hunc prospicio: nec me vis vlla moratur:
Nam DVCE clausa piis semita nulla Deo est.

DEVM SERVARE SVOS, NEC vno modo.

Psal. 18.

Symb. Viri celeberrimi, CASP. PEVCERI.

QVid est, quòd ô bone indies cum regio,
PEVCERE, Vate plausibus cœlum feris,

Appellitasq́ tot DEVM vocabulis:
Iehoua Petra, & Arx mea, & Soter meus;
Totus Deus, totus meus, Scutum meum,
Cornu meæ Salutis, & mea Anchora,
Famæ decus summum meæ, mea Gloria?
An hæc, Senex rediuiue, mentis fit tuæ
Sententia: optimum Suos certissimè
Seruare præsentissimis à cladibus
Patrem DEVM, & seruare non vno modo?
PEVCERE, nî fallor, tua hæc Sententia est.
Nec te fefellit: nec fefellit plurimos:
Fallet nec vnquam te; nec vnquam credulos.

PRO MALEFACTIS BENEficia.

VIs hominem exuere, atq́ DEO quam proximus
Heus: benefac, vltrò qui nocuêre tibi. (esse?

IN CALVMNIATOREM MEVM, de Apostasia.

QVi canit, à VERO me desciuisse, quis ille est?
Qui Verùm omne odit, Furcifer, & Nebulo.
Sunt monstrata mihi, fateor, regna omnia mundi:
Sed potior regnis omnibus Vnus erat.
Quis?

Quis? posuit mundi qui fundamenta, deditq́
Qui mihi vitam, animã, Corq́ animumq́ DEVS.
Huic seruabo fidem, iuramentumq́ tuebor,
Dùm quis in hoc tenui corpore sanguis erit.

IN EVNDEM.

ESset Frencelius quòd factus Apostata, nuper
Audiit vt Pietas; quod scelus istud? ait.
Non cadit in sacrum leuitas tam fœda Poetam:
Non me illum abstraherent totius Orbis opes.
Scurra, quid oggannis? PIETAS me iure tuetur,
Et grauia hæc pro me simplice verba facit.
Aurea Nympha quidem summos promisit honores:
Maiores spondet sed mihi SPONSA DEI.
Nympha hæc Sponsa mihi longè est dilectior aurêa:
Salue ô Sponsa tuo cum DVCE; Nympha vale.
Nos diuersa manent; te mors: me vita: dolor te:
Gaudia me: Christus spes mea: bulla tua est.

APOSTATA, CADAVER.

PProstituit qui lucro animam, non dignus eádem
Sunt reddenda Deo, quæ Deus ipse dedit. (est:

NE DESERAR.

ONe, DEVS, me desere;
Ne lapsus & te deseram.

Agnoſce, quæſo, quod tuum eſt:
Ignoſce, quæſo, quod meum eſt.
Audi PATER me FILIVM,
Heu peſſimum me Filium
Audi, Pater ter-optime:
Ne deſeram, ne deſere.

IN PSALTERIVM MAVRICII CATTORVM DVcis, Illuſtriſſimi & generoſiſſimi Herois.

DEſine Barbaries regnum adfectare ruenti
Hoc ſeclo, rerum Dominos quando inclita tantis
Artibus effingit Pœdea, volumina vt ipſi
Rebus plena bonis, doctrinâq; vbere condant,
Et miraturis tranſcribant condita ſeclis.
Quale opus HASSIACO prognatus ſtemmate Prin-
Diuini ingenii, Iuuenis, MAVRICIVS heros, (ceps,
In lucem emiſit nuper, non vile ſequutus
Argumentum inopis ductu leuiore Camœnæ.
Aggreſſus Vatem eſt, quo non ſublimior alter,
IESSIDEN: Cycnum numeroſâ voce canorum;
Regem, qui Regum regali carmine Regem,
Aethereum Patrem cecinit: nec Regibus ipſe,
Nobilitate animi, generoſi & ſanguinis ortu

HES-

HESSVS hic inferior. ſanctos includere ſenſus
Hic ipſe eſt numeris auſus grauioribus, Oeſtro
Percitus. argutis viden vt fulgentia dictis
Pondera, ponderibus flores vt iungat amœnos!
Regium erat, poſſe hoc: diuinum, velle: quod æuo
Turpe hoc, indignumq; ſuis Natalibus excors
Centaurûm Soboles putat? ô infamia ſecli!
At tu, MAVRICI, Vatum Decus auguſtorum
Salue, auctus melior gaudet quo ſydere mundus!
Ecce tuum aſſurgunt ad nomen ſancta Sorores
Numina pimpleæ! flexis te Phœbus adorat
Dux noſter genubus! tua circum tempora victrix
Fulgeat vt Laurus, ſtupet hem Tritonia Pallas!
IS AIDES verò, ſimul ac tranſcenderis hoſpes
Sydereum (at ſerus!) limen; te lætus ouansq;
Excipiet Socium, tecumq; alterna mouebit
Plectra ſenex: electa Deo gens ſurget, & aures
Arriget, inſuetum modulans pœana: quid? ipſum
Chriſtum adeo Præconem operum laudumq; tuarum
Audiet hæc tecum. macte ô lux aurea ſecli:
Nec te tam calamo, quàm ferro, atq; omnibus armis
Barbariem à noſtris hei profligare ferocem
Pœniteat ſanis. hæc gloria Principe digna eſt!
Macte HEROS! macte ô MAVRICI talibus auſis!
Te præſens fert ara, ſequens mirabitur ætas.

IN-

INGRESSVRVS PRIMVM VVI-tebergam faciebam.

CHriſte Deus grates toto tibi pectore, donec
Organa non linguæ Mors mihi rumpet, agam:
Copia quòd ſiat per te mihi lumine auaro
Optatam toties denig; obire Scholam:
Illam, aio, primùm qua dia volumina vatum
Prorſus ab inuectâ candida labe ſonant.
Illam, quâ fortem iungente Melanchtone dextram
Ille inſtaurauit grande LVTHERVS opus.
Illam, tot rerum quâ ſunt documenta profeſſi
Diuinâ inſignes cognitione Viri.
Saluete ô turres, ſaluete ô mœnia clara,
Vltrò alacris ſub quæ me modò vectat Equus.
Salue ſancta Domus, toti Schola cognita mundo,
Quæ ſanctos cineres, oſſaq; ſancta foues.
Parce pios Manes ſcelerato lædere morſu,
Nec diſiunge, olim quos copulauit amor.
Plena DEI adflatu retine Monumenta LVTHERI,
Aurea nec Socii neglige Scripta pii.
Triſte inſtat fatum, ſi te ſententia vertet:
Diſpereant, quorum ſorde LVTHERVS olet.
Triſte inſtat fatum, ſi te ſententia vertet:
Diſpereant, quorum ſorde PHILIPPVS olet.

PRAE-

PRAETER CVLPAM LAESVS quid facias.

AD VALENTINVM DRESLERVM à Scherffenſtein, Virum virtute, & omni doctrinarum genere verè nobilem, Conſil. Brandenburg. & Cancellarium in Ducatu Sileſiæ Carnouienſi ampliſſimum.

PLusquam eſt plusquam hominis, lædentem lædere
Excelſig; animi, ſi culpam ſponte remittas, (nolle:
Etſi læſus atrociter, etſi læſus iniquè.
Perfectæ at laudis demum eſt, vltricibus vti
Cùm poteris armis, hoſti ſi denig; parcas.

INTER AMICOS NON eſt ordo.

In Libellum Symbolicum nobiliſſimi Monauii.

NEmo bonus, nemo ſapiens cupit ordine primo,
Aut non extremâ vult quog; parte legi.
Hic res Monauium remorata eſt nulla, referret
Quò minus hoc illo nomina cara loco.

Ordi-

Ordine dispoſuit, quo nempe acceperat olim,
Et nuper, genio nomina clara ſuo.
Illi (quæ natura Viri prudentis, & æqui eſt,)
Sunt vt amore pares, ſunt & honore pares.
Quid? quòd & IPSE illud FACIET poſtrema po-
Carmine non minùs, ac pagina prima, canit? (lito
Et bene! cœleſti nos, qui te, CHRISTE, ſequemur.
Simus vt Orbe pares, IPSE DEVS FACIET.

VERBVM VINCVLVM VALIdiſſimum.

Symb. IOAN. HERMANNI, Illuſtriſſ. Ducis Brig. & Lig. Medici, & Conſiliarii, Viri longè doctiſſimi, verèq; EVANDRI.

EOrum Amicitiam eſſe firmam maximè,
Adamantinam, gratam Deo, gratam Bonis,
Quos copulauit alma vitæ Integritas;
Vſus docet: nec vir negabit hoc bonus.
Aſt vnde comparetur iſthæc rectiùs,
Niſi entheis Vatum è Sacrorum Oraculis?
Nec gnarus horum & hoc negabit quiſpiam.
Quin imò VERI tanta vis eſt dogmatis,
Vt cum DEO Mortalium conglutinet,

Mirum

Mirum in modum, genus æuiterno fœdere.
O ergo VERBVM VINCVLVM VALIDISSIMVM!

VNVM PETII, HOC REQVIRAM.
Pſal. 27.

Symb. SEBAST. HOFMAN in Henersdorff, Reipub. Gorlicen. Conſulis, Viri ampliſſimi & prudentiſſimi.

COndat opes alius, ſpemq; omnem ponat in auro,
Et purpuratorum horrtdas
Querat Amicitias, perq; omnes pronus honores
Graſſetur improbo gradu:
Exquiratq; alia, atq; alia inſatiabilis: vnum,
Vnum expetiui, & expetam
Vsq; ego percupidus: IOVAE vt delubra frequentẽ,
Vitam traho dum lubricam.
Sitq; ibi firma mihi ſtatio, ſit portus, & ara,
Sit ô voluptas vnica,
Regnat vbi Chriſtus: ſim ciuis & Incola templi,
Cultu Dei quod integro,
Aucrſans fucos, hominum & deliria, fulget,
Puraq; voce perſonat.
Impetret hoc vnum mea Mens: felicior ecquis,
Ecquis me erit ſecurior?

HV-

HVMILIS AC FIRMVS.

Symb. CASP. MOLLERI, inclitæ Reipub. Embdensi à Secretis, viri elegantissimi.

ESse humilis, firmusq; idem, MOLLERE, labo-
Nec labor hic vanus, nec tibi vanus honos. (ras:
Vis fructum expediam, & laudē, MOLLERE, labo-
Esse humilem, & firmū, est; esse in amore DEI. (ris?

Precatiuncula,

IN ACTV DOCTORVM MEDICINÆ 11. Decemb. Anno 1596. in incluta IVLIA creatorum, recitata ab eleganti Puero ERNESTO FRIDERICO, LAVRENTII SCHEVRLAEI S. Theologiæ Doctoris Filio.

CHriste, Salus mundi, præsentibus annue ceptis,
Quæ subit auspicijs lux hodierna tuis.
Præmia decernit virtus suprema labori,
Dum meritò egregios ornat honore viros.
Quinq; vnam Phœbi coluêre fideliter artem,
Quá præstent ægris mille salutis opem.

Inuen-

Inuentum Medicina tuum est, & amabile munus:
Frustra æger medicam te sine quærit opem.
Gens humana tuam, mox primâ ob origine, toto
Læta salutiferam sensit in orbe manum.
Dexter adesto igitur iuuenum conatibus horum,
Auxilio sacrant qui sua vota tuo.
Debita quæ vitæ, fac plurima corpora seruent,
Debita quæ cælo pignora, plura tamen.
Nostræ etiam tu frena Scholæ, tibi credita primùm,
Pòst, velut antè, tuâ flecte, reflecte manu.
Nos tibi subijcimus, tibi nos committimus vni:
Quas tu custodis, semper habemus opes.
Sæua lues nostris procul à congressibus absit:
Bella foris cessent horrida, rixa domi.
Sæpe Ducum litui populorum lite cientur:
Ast vbi bella sonant, vox tua, Christe, silet.
Barbariem à studiis prohibe, à Virtute ruinam,
Sudet vt in laudes nostra palæstra tuas.
Omniaq; vt sint salua, tibiq; pitissime IESV
Constet honos; voti hæc summa, caputq; mei est:
Omnis in HENRICO Patriæ stet cura Parente:
Tu Dux esto Ducis, tu Pater esto Patris.

ET CVRIS AD PRECES COMpellor, & precibus curas depello.

Magni illius PHILIP. MELANTHONIS ſententia, GEORGIO ROLLENHAGIO, Viro omni doctrinarum genere præſtantiſſimo familiaris.

CVra Precum eſt Genitrix: perit hæc, vbi Filia
O felix partus! morsq́ dolēda minùs! (nata eſt:
Quiſquis es, haud Matrem fuge: ſed nec deſpice Protla plum; hæc tutum te ſimul eſſe iubet. (lem:

MORTIS MEMOR GAVDET SVAuiter ſibi.

Ἀκρόστιχις Nominis & Symboli M. MELCHIORIS GERLACHII, Scholæ Budiſſinæ Rectoris, viri doctiſſimi.

QVæris, qua miſerè mordentes pectora curas
Arte domes? ſemper mors meditanda tibi eſt?
Abſurdum hoc cenſes? haud quaquam: Orcheſtra pa-
Nonne hæc ad Drama eſt flebile Vita piis? (luſtrù
At Mors principium eſt vitæ melioris, & æui
Terminus afflicti; fons, & origo Boni.
Ergo Memor Mortis Gaudet Sibi Suauiter: *er-*
curarum hæc domitrix ars tibi ſemper erit. (go

FI-

FIXVM NASCENDI ET MOriendi tempus. Eccleſ. 3.

TEmpore cuncta ſuo gaudent, moderatur & omnù
Aſtrorum ſeries tempore cuncta ſuo.
Fixum eſt naſcendi, moriendi denicq́ fixum
Tempus, & in fatum tus habet vna dies.

DESVPER AVXILIVM.

REſpice Mens ſurſùm mea, & iſtic quære ſalutem
Namq́ ea de cœlo, non aliunde, *datur.*

IN TE DOMINE SPERAVI: NON confundar in æternum.

Symb. Illuſtriſſimi Dom. Dom. VVOLFGANGI ROMPF. Lib. Baronis à VVülros, in VVeitrach, S. Cæſ. Maieſtat. Conſil. intimi, & ſupremi Camerarii &c.

INte tota fides mea, Spes & cuncta reſidunt:
Confundar nullo tempore, Sancte DEVS.

IN HOMILIAS EVANGEliorum.

Author moriturus ad Librum.

NEſcio, care Liber, num ſis venturus in auras,
Hinc aliò quoniam me mea Vita vocat:

Vita Deus: iubet is nunc mortem eludere morte,
Atq; operum posità mole, quiete frui.
Parendum; non iam pariendum est amplius: ergo
Natalis spes est abijcienda tui?
Confirmanda magis: nam si pia gloria Christi
Natali est, velut est, amplificanda tuo;
Non deërunt, quos cura tui studiumq; tenebit,
Vt sis fata super post mea, care Liber.
Nascere, difficili genui quem, Posthume, nixu:
Te gremio Pietas intemerata gerit.
Hæc Genitrix: quidnam dubites te credere luci?
Hac tibi Matre Deus, Posthume, tutor erit.
Hoc Criticum Tutore refirmidato nec vnum,
Talia fac potiùs pro patre verba tuo:
Me studio quicunq; tuo dignabere, si quid
Displiceat, si qua est corpore menda meo;
Da veniam: me Mors orbauit iniqua Parente
Natalem (sors ô flebilis!) ante meum.
Ne dubita; auspiciis natus melioribus essem,
Parca nisi cœptum præpedijsset opus.
In culpâ fatum est: patri non defuit ardor,
Non ratio, non mens officiosa DEO.
Me voluit seruire DEO, prodesse legenti:
Hæc duo sunt Anima, & Corpus, *Amice meum.*

INSI

INSIGNIA CHRISTIANORUM.

QVæris, Christigenûm quæ sint Insignia? CRVX
Qui vis cum Christo vincere, disce pati. (est:

DE BELLO TVRCICO.

TVrca sibi sumit, Tibi Christus at arma ministrat:
Nunc agitur, CAESAR, Res tua: Causa DEI est.
Turca tuam in laudem vigilat, clademq; Suorum:
Tu vigila in laudem, diue Monarcha, Dei.
Insta operi cepto feliciter: assere caussam
Magne RODVLPHE tuam, maxime CHRISTE tuam.

DE EXPEDITIONE BELLI IN Croatiam, contra fœdifragos Turcas.

Ad Illust. & generosiss. Heroem GVILIELMVM ab OPPERSDORF, Lib. Baronem &c. Mecænatem meum incomparabilem.

SObria ter-sancti qui contra Numinis Hostem
Arma capit, sanctum tentat, & vrget opus.

Ergo audaciter Equum scande, & felicibus intra
GVILLELME auspiciis castra, parata DEO.
NOMINE pro Christi, contra huius nominis hostem
In Christi gladium NOMINE stringe tuum.
I felix, felixq; redi! totoq; memento
Hoc vnum belli tempore: CAVSSA DEI est.

IN TEMPLVM GRONINGENSE

AdHEN. IVLIVM, potentissimum & le-
ctissimum Brunsuigæ & Luneb.
Principem: Oculum Ger-
maniæ.

HENRICE ô IVLI caput arrige, lætus & au
Quos tibi Cælicolûm proferat Aula sonos, (di
Aemula quid nostris (ait illa) palatia tectis,
Totus in ornandâ religione paras?
Per te surgit humo, lætoq; attollere cælo
Incipit ecce altum parua GRONING A caput.
Hæc procul Europæ delubra nitentia magnæ
Obscurat templi formâ & honore noui.
Quodq; magis; tanto te Fundatore superbit;
Religio plausus edit & ipsa sues.
Luxuriæ nam dent alii cum plurima Reges;
Omnia tu soli das, sine sorde, Deo.
Tecta sacrata Deo gemmis auroq; coronas,
Et facis vt sint his corda sacrata Deo.

Mactè

Mactè, Deo & si vis hoc Munere proximus esse,
A FANIS prohibe VANA, tuere Scholas.
Non admitte pares; quicquid mentita susurrent
Murmura: prima tua est cura, operata Deo.
Hoc opus hoc sanctum mirabitur Aduena quiuis,
Et FVNDATOREM voce precante colet.
Ipsa etiam Angelicis resonabit cantibus Aula!
Sospes tibi HENRICVS IVLIVS hospes erit.

CALVMNIA QVOMODO NON noceat.

Ad doctissimum V. M. MELCH. TILE-
SIVM, illustris Gymnasii Brigen-
sis Rectorem.

IMproba mendacis noceant ne toxica linguæ,
Fidere disce parum, viuere disce tibi.
Lingua Malum mala, lingua Bonum bona (credito)
Omnibus hæc prodest, omnib⁹ illa nocet. (summũ est:
Quantò hæc est illâ melior, sapientia tantò
Maior, vtramq; acri si ratione regis.
Nempe tibi vt viuas tantùm: tantùm & Duce Chri-
Hoc Duce, non aliis, nec tibi fide satis. (sto:

NERVVS AMICITIAE pietas.

TRes animo, sine fraude, pares concurrere vidi:
„ Tres iunxit pietas, tres retinebit Amor.

ANGELOS BONOS BONIS præsto esse.

AD MARTINVM KINNERum &c.

AVsa quòd eripere est tibi præsentissima vitam
Immerso rapidis mors violenter aquis:
Ne læuum tibi finge omen, Kinnere: sed vnum
Disce: quis è mediis te reuocârit aquis?
Hoc opus, hic modus est, hæc consuetudo Tonantis,
Quos amat, hos miris casibus obruere.
Quò propior morti sub aquis, Kinnere, fuisti:
Hòc maior de te cura subinde Dei est.
Nec doleo hunc casum, lætò sed gratulor ore:
Quòd si omen quæris! Pons, Equus, Vnda dabunt:
Præcipitatur equus de ponte: immergeris vndis,
Et tamen è medio gurgite saluus abis.
Fortunas docet vnda tuas: pons regula verbi est,
Eluctatus Equus prompta tenaxq; fides.

Eua-

Euasisti vndis? tibi fex superata malorum est:
Ponte cadis? VERBO nitere, saluus eris.
Fidum Animal generosus equus: ne te malè casus
Opprimat, è VERBO fidere disce DEO.
De tribus his vnum, MARTINE, tibi auguror omē:
Mitia fortunas fata manere tuas.

ANIMI MAGNANIMITAS.

NE desponde animum subiniquâ mole laborum:
Quin dic; quod valeam vincere, fata date.

LILIA GREG. RHENANI, VIRI Nob. & integerrimi.

CAndida quæ Clypeo gestat mea NISSA coruscō
Lilia, sunt clypei signa decusq; mei.
Atq; hæc custodit latere Gryphs additus ingens:
Præformo studiis hinc documenta meis.
Fac DEVS, vt spirent Nissæ & mea mutua odorem
Lilia; sit fructus mutua cura Dei.

PETRO COLLINO.

SI de colle geris nomen COLLINE, quid hæres?
Quin iuga Parnasi scandis, iterq; voras.
Difficilis fateor via; sed plenissima frugum est:
Tu, DVCE multa feres si PRECE, cuncta feres.

IN ACTVM SEX THEOLOGIAE Doctorum, In Academia Iulia, VOTVM MVSICORVM.

SEx animæ Medicos sincera renunciat aram
Relligio ante tuam DOCTORES, IVLIA, sa-
Res ô grata Deo, res rara, & carmine digna! (cros.
Plaudite Iuliades (laus vestra hæc,) plaudite Musæ.

IN EFFIGIEM MART. ZIMMERMANNI, Theologi doctissimi.

TAlis eram facie, post lustra vndena: peregi,
Quòd licuit: reliquum IOVA gubernet iter.

IN COMMENTARIVM SVPER Genesi D. CHRIST. PELARGI, Theologi & Philosophi absoluti.

ASsentatores seruum pecus execror: ergo
Quod loquar, hac turpi labe carere volo.
Quòd res est, effabor ego: diuine PELARGE
Tu, Superis grates quas mediteris, habes.
Immò Dei totum Respub. sparsa per orbem,
Pro te concesso quas quoq; soluat, habet.

Nam

Nam te vnum cunctis cumulauit dotibus Ille
Omnis qui caussa est, fons, & origo Boni.
Te latet, o Vatum decus aureûm, si quid in arte.
Id non Naturæ rebus inesse puto.
Ingenii hoc monumenta docent, & deînde docebunt
(O alas tantùm tolle, PELARGE, diu!
Atq; ecce in Genesin *(sed quid sublimius illâ?)*
Multorum hoc, Lector, hoc Opus instar habes.
Volue, reuolue manu nocturná, volue diurná:
Dixeris: haud promsit doctius Autor opus.
Ora colorabit pudor hic tua (sat scio) Vatum
Optime: sed satis est: ista probare fidem.
Assero, quod res est, quin eloquor omnia verbo:
Quòd vis, omne potes; quoâ potes, omne facis.
O secli munus! tu ringere, ringere liuor:
Mî pia Posteritas optima testis erit.
Dum loquor, ecce Deus, Deus ipse, Pelargus hic, inquit,
Vestra est, Mortales, gloria: noster amor.

AVDITORIBVS MEIS.

HActenus à studiis animos suspendere nostris
Me dolor, & medicæ cura coëgit opis.
Strauit in attrito disiectas corpore vires.
Membra stato repetens tempore, languor edax.

Aspi-

Aſpirante Deo tandem tamen aura reuiſit
Sanior infirmi corporis articulos.
Hinc mihi nil prius eſt, quàm noſtri ad ſacra Lycæi
Pulpita feſtinum poſſe referre gradum.
Ergo hodie redeant, caſtis quos moribus ævum,
Virtutum & ſtudiis excoluiſſe iuuat.
Seruiet hæc noſtris melior conatibus æſtas,
Et pertexet, hyems quod fera rupit, opus.
Otia ſuppeditet tantùm tranquilla Salutis
Author, Apollineæ Duxq; Paterq; Scholæ.
Inȳciente DEO remoras, fruſtra æquora tranat
Nauita: ſuccedunt cuncta, fauente Deo.

IN OBTRECTATORES.

AdPETRVM de FISCHER, magnificum & optimum Virum.

PArce metu, quòd te clā voce, & fraude laceſſunt,
Qui nihil, inſontes quàm premere arte, ſciunt.
Nil quibus eſt animi, quàm ſcindere mobile vulgus
Diſſidiis, miros & fabricare dolos:
Idq; æqui, & recti ſpecie, ſed conſule tempus:
Nulla vnquam improbitas perpetuata fuit.
Vince igitur litem patiendo, vince furores:
Cauſſa triumphabit vindice iuſta Deo.

VE-

VETVS ET NOVA GERmania.

DIALOGVS VETERIS GERMAniæ, & Viatoris.

CVr Deus, ô antiqua tibi Germania, præſtò eſt?
Nempe ipſum antiquâ religione colo.
Cur fortuna fauet? ſtabilis Concordia curæ eſt,
Qua duce regna vigent, quâ ſine regna cadunt.
Cur tot opes cumulas, totq; extruis vndiq; templa,
Quòd parcâ vitam ſimplicitate tego.
At cur conſilii docta es felixq; Magiſtra,
Fataq;, quoà ſuades, proſperiora capit.
Me tuuat ingenuis mentem excoluiſſe Camœnis,
Omnia diuinâ quæ moderantur ope.
Sic Deus, & fortuna fauent, opibusq; repoſtis
Affluo: ſic paſſim florida regna colo.
Digna ſolent euenta ſequi plerumq; labores:
Quæ rogitas, dixi: deſine plura, vale.

NOVAE GERMANIAE ET VIAtoris Dialogus.

CVr Deus auerſus te? nempe auerſa Deo mens,
Quem variè tortâ religione colo.

Cur

Cur sors nulla fauet? quia litibus omnia sæuis
Plena, quibus nullo stant mea regna loco.
Cur lacero incedis, quasi flebilis Exul, amictu?
Quòd mihi luxuries pernicioſa placet.
Sed cur consilium rudis es dare, cunctaq; finem
Cur funeſtum adeò, quæ moderaris, habent?
Scilicet Aonias contemsi prodiga merces,
Otiaq; ignauæ complacuêre mihi.
Sic inuisa Deo, & sorti, & rerum omnium egena,
Infinitisq; exposta malis crucior.
Exitus acta probat; sequitur merceſq; laborem:
Deſine plura: vetat dicere plura dolor.

ORATIO MORITVRI, AD CHRIstum.

Mag. & nobiliſſimo Viro Dn. IOACH. à BERG, in Kladen & Herndorff, Conſil. Cæſ. Muſarum Nutricio Sacrum.

HIc iaceo, gemituq; diem noctemq; fatigans
Humanæ meditor flebile sortis onus.
Hinc placidam mortem, finemq; exspecto beatum;
Gaudiaq; ætherei non peritura throni.
Adsis tandem igitur, IESV dulciſsime: quanto
Ah deſiderio flagro, & amore Tui!

Vrget

Vrget peccati moles me fœda, nec vnquam
Huius ego inſicias perditus iborei.
At contra attonitæ certa eſt sententia menti,
Quòd sis peccati Baiulus ipſe mei.
Ieſu Chriſte, Dei, rerum Patris, vnice Fili,
Si corrupta mihi Mens; tibi tota pia eſt.
Vt lætum faciam è dio Baptiſmate ſaltum,
Tu facis: ecce Dei eſt hoc miſerantis opus!
Vis nempe, emergam in Portum qui ſubdita Patri eſt
Mens tua, noxæ expers, ſida, fauensq; mihi.
Atq; hunc in Portum molem depono grauantem,
Obuius hanc Tu humeris ſuſcipis vsq; tuis.
Sic ergò mea culpa tibi eſt impoſita, tuæq;
Munus Iuſticiæ (ah nobile!) Chriſte, meum eſt.
Ergò auſimne meæ iam deſperare ſaluti?
Quin Anima ô multis exhilarare modis.
Eia age Vita tua eſt æterna illa illa! quid vltra?
Hac ſpe iam mihi Mors nil, niſi ſomnus erit.

ὁ κύριος ἐγγύς.

Symb. VVENCESLAI PLACELII ab Elbinga, Viri nobilis & præſtantiſſimi.

ILlud tempus adeſt, quo ſuprema omnibus horis
Eſt ſperanda dies, eſt metuenda dies.

Chri-

Christe Tuis adsis; quia te sine nulla voluptas,
Te sine nulla fides, Te sine nulla salus.

AD IESVM MEDITATIO agonis.

VVENCESLO RAPHANO Viro solidè docto, Medico intelligentissimo sacrum.

VLtima consumtæ cùm labitur horula vitæ,
Et præfixa mihi meta petenda venit:
Adde pium Comitem mihi te, dulcissime IESV,
Auxilio ne me ne rogo destitue.
Nam delicta mihi incutient tormenta dolorum,
Mensq; hei non Recti conscia Tortor erit.
At scelerum quamuis numerus maris æquet arenas,
Attamen haud fixâ spe, fideq; cadam.
Nulla tuæ capiet me Christe, obliuio mortis:
Vulnera quinq; meæ norma salutis erunt.
Namq; tuo adscitum me scis in corpore membrum:
Vnde animo surgunt gaudia mille meo.
Abs te diuellar nullo discrimine rerum,
Siue fremat Mundus, Tartara siue fremant.
Quòd si mortem obeo, morior tibi: nempe cruento
Parta tuo æterna est funere vita mihi.

Victor

Victor enim quoniam rupisti claustra sepulcri;
Non me perpetuo carcere claudet humus.
Hic tuus in vitam reditus mihi maxima spes est:
Hoc ego discutio tela metumq; necis.
Te sequar, vt viuam tecum, quocunq; feraris:
Ad tua carpo igitur gaudia lætus iter.

DIES NOVISSIMVS. Ioan. 5.

ECce venit, venit ecce dies, venit horaq;, finem
Dudum exanthlatis imposiura malis:
Quâ subitò excitos tumulis magnum ante Tribunal
Sordentes Hædos sistet Ouesq; DEVS!
Tum tandem hæ capient speratæ gaudia vitæ;
Ast illi in stygias deijcientur aquas.

EADEM.

ECce dies veniet, quæ Christo est Iudice pœnas
Allatura Malis, præmia summa Bonis.
Sat veteri indultum vitæ: salue ô noua; salue
Iudex, & caussæ mitior esto meæ.

IN PICTVRAM TRIBVNALIS Filii Dei.

Ad Cenotaphium Viri nobilis, D. ADAMI KESSELII, CAN. VVRAT. &c.

VIuimus hei vitam; sed vix quæ vita vocanda
Nam mors momentis omnibus omnis inest. (est:
O mortem potiùs, melior nisi vita sequatur,
Nescia quæ finis floreat antè DEVM?
Hæc sed erit, cùm non præsens erit. ô bone Iesu,
Hæc meritùsq; tuis, policitisq; mea est.
Mors igitur metuenda nihil: sed fortè Tribunal,
Iudicijq; dies illa suprema tui?
Nil minùs: imò illa est vitæ melioris origo:
Quæ mihi parta tuo sanguine, parta nece.
Præmia tum capiet sua quisque suprema: manebit
Tum bona vita BONOS, tum mala vita Malos.
Assere Christe Tuos, Meq; his; succurre labanti:
Saucia Tu sana sanguine membra tuo.
Ex humeris pendebo tuis: nec me auferet error:
Sic sum, sic totus, Christe, manebo tuus.
Ergò Patris me siste throno, regnique paratam
Da sedem, culpæ nec memor esto meæ.
Comparére hilari, quacunq; aduenerit horâ,
O IESV, antè tuum me sine fronte thronum.
Christe veni: vita hæc facies tristissima rerum est:
Vna est vita sequens Spes mea: Christe veni.

PARA

PARA TE AD TRIBVNAL.

VIta alia hoc æuum si non sequeretur inane;
O homo, quidnam esset te miserabilius?
Vita tamen superest, quâ nulla beatior: ergò
Huc insiste viam, huc mentem, animumq; refer.
Ecce suum æthereo iam fixit in orbe Tribunal
Christus! homo ô vitam viuet! disce nouam.

FINIS LIBRI SECVNDI SACRORVM.

MAGNIFICO ET GENEROSO DOMINO, IOANNI VVENCESLAO VVENZELICK à Sarabitz in Trischt &c. Equiti Aurato, Viro virtute, genere, & literis splendidissimo, Domino & Amico meo pl. colendo.

SAL. FRENCELIVS S. P. D.

EGone, magnifice VVENZELIKI, in hac lectissimorum virorum classe te præteream, cuius heroicæ mentis indolem, doctrinæ, morumq; elegantiam, & grauitatem, singulari cum humanitate coniunctam, sermones cordatos, & ingenii acerrimi sale conditos, cæteras denique virtutes omnes, quæ præclaræ felicitatis, splendidissimique tui generis sunt ornamenta, semper suspexi, nec dum aliis, tui cumprimis Ordinis hominibus etiam atque etiam studiosè prædicare desino; eis potissimùm,

mùm, quibus stimulis nonnullis ad bene beateq; viuendum opus esse animaduerto? Sæpe recordor tui, etsi iamdudum nihil ad me perscripsisti, qui antea suauissimis, & eruditis literis tuis ornare me solebas. Sæpe mihi in mentem venit iucundissima consuetudo, quæ tecum mihi fuit domi tuæ; in Palatio tuo, in prædiis, in agris. Delectabaris enim libertate, candore, sermonibus meis: tum ad quæuis exercitia ludicra, Te tuique similibus digna, promtitudine à Naturá penè mihi insita. Nec ego secus me gerebam, ac si essem domi meæ: quippe qui à primá adolescentiá, virorum illustrium & sapientum ductu atq; consuetudine, *præter literas natare*, hoc est, ad quoduis liberale politioris vitæ genus me componere didici. Quam ob rem me habebas perquam honorificè, tuisq; beneficiis, præsertim ingenio meo penitiùs explorato, me obruebas: quod sine adulatione libenter fateor. Et ego te præteream? Equidem tot iam annos de fide & gratitudine meá tibi probandá, in credibili solicitudine cogitaui. Sed ea est meritorum tuorum magnitudo, rerumque mearum tenuitas, vt cupiditatem hanc meam in hodiernam diem explere nequeam. Mihi enim

idem quod bonis viris quam plurimis accidit, quibus Nouerca illa adeo obluctatur fortuna, vt neque maturè, neque ex æquo beneficia reponere queant : etsi in id omnibus cogitationibus atque viribus, persæpe etiam cum discrimine suo enituntur. Nec ego nunc quidem, dum hunc libellum tuo magnifico nomine insignio, hoc ago, vt parem gratiam tibi referam : sed leuiter duntaxat ostendere cupio, me de eâ magnopere esse solicitum. Neque sanè (quod mihi credas velim) priùs conquiescam, quam tuâ benefi entiâ & amplitudine, meâque integritate condignum aliquid præstiterim. Tibi enim gratissimus videri cupio : esse omnibus modis studeo. Quod te policeri de me tibi non dubitabo, si hanc memoris animi adumbratiunculam interim gratam habueris. Id vt facias, per pristinam tuam erga me beneuolentiam, & illam suauissimam nostram consuetudinem, tanto abs te studio peto, vt maiore non possim. Doleo vehementer, Fratres tuos germanos: HENR. CONRADVM, & SIGISMVNDVM MATHIAM; summæ exspectationis Adolescentes, in viciná Academiá vixisse, me inscio. Collocutus enim cum illis crebro fuissem,

sem per literas, vtpote quos tum amare cepe-ram, & plurimi facere, cum istic essem, & singulare aliquid policeretur ipsorum ætas, adhuc tenella : & nunc magis amo, postquam cognosco de præclaris ipsorum in studiis literarum progressibus, quos tuá curá, & procuratione plusquam fraternâ fecerunt. Eis salutem dico, & studia mea defero : Tibi eandem iterum atque iterum, & me totum. Vale nobilissime Ioannes VVenceslae, insigne ornamentum tum antiquissimæ familiæ tuæ, tum Marcomannorum omnium. Ex Iulia Cal. Ian. An. redemti generis humani M.D.XCIX.

Epigrammatum SALOMON. FRENCELII Miscellaneorum

LIBER PRIMVS.

VIVAT RODVLPHVS.

In conuiuio Legatorum Brunsuic. & Lunæburg. Pragæ.

SIs saluus felixq; Tuis, Spes nostra, RODVLPHE,
Cæsar Cæsareo progenerate toro.
Dum caput est saluum, salui sunt corporis artus:
Sospite te nobis non malè, Cæsar, erit.

ALITER.

VIue diu, Cæsar: viuat tua Gloria: viuant,
Qui tua sceptra colunt: qui secus, intereant.

VIVAT HENRICVS IVLIVS, D. B. & L.

Sunt

SVnt duo, quæ propter longo dignissimus æuo es,
HENRICE ô Gentis Sydus IVLE tuæ.
Cæsareum digno quòd Numen honore vereris,
Quòdq; regis populos cum pietate tuos.
Ergo sis, HENRICE, DEO Q. diuq; superstes:
Vita satis longa est, vita operata Deo.

VIVAT ERNESTVS D.B.ET L.

ET tu viue Decus magnæ Germanidos Oræ,
Lunæburgiacæ Lux, GVLIELME, Domus.
Si tibi prima Dei, si Cæsaris altera cura est,
Est velut; es dignus viuere: viue diu.

MVTVVM AVXILIVM.

Idyllion: H. I. D. B. & L. & Prouin.

EST corpus, quod in his viget inuiolabile terris:
Robore Membra valent, consilioq; Caput.
Poscit opem pia membra caput; nec membra recu- (sant:
Mutuus hinc demum consolidatur amor.
Fit, fieri longo nequiit quod tempore, tandem:
Cur? CAPITIS curam nam DEVS ipse gerit.
Quàm benè! dum caput est saluum, salua omnia:
Ergo, vt viuatis membra, fouete caput. (membra:

OTII CVM LACVNA COMPARATIO: ex Laurentio Iustiniano Patriarcha.

QValis clausa sinu, spelunciscq; abdita nigris
Putrescit veteri densa lacuna luto:
Inde venenatis sedemq; dapesq; ministrat
Bestiolis, hominum noxia corporibus:
Sic mens desidiæ sceleratá labe peresa
Omne voluptatum gignit alitq; genus.
Hinc omnes fibras, omnes hinc inficit artus:
Sic, homo qui fuerat, cogitur esse pecus.

AD BOEMIAE PROCERES.

De Herbarii Boëmici editione, Interprete M. DANIELE ADAMO â VVeleslauina, Viro doctissimo, & de bonis literis præclarè merito.

ECquid erit, porrò quod, opima BOEMIA, posca
Donandum linguæ proprietate tuæ?
Quæ non scripta tuis populares vertit in vsum
Ciuis, Apollinei pars veneranda chori,
Arte stylóq; graui Daniel, *instructus* Adamus,
Cuncta Deo impendens munera, cuncta tibi?

Hu-

Huius si absumat monumenta vel omnia tempus;
Instar cunctorum, quòd modò prodit, erit.
Namq; animos doctis qui pauerat antè libellis,
Nunc etiam Phœbi corpora curat ope.
O ciuem Patriæ memorem, atq; salutis amantem
Respice; nec serò respice; vita fugit.
Qui Patriæ totum exemplo se impendit ADAMI,
Huic statuam ponat candidá Posteritas.

GEORGIO AEPLINO MEDICAE artis dignitatem summam consequenti.

AEplinum increpitans toties diuinus Apollo,
Sæpe quòd oblatos auersaretur honores
Iam propè canescens, ecquousq; ætate, meoq;
Munere abutoris, dixit? promittere cura
Quicquid in arte meá potui, tibi largus id omne
Concessi: hinc grauidum doctrinâ diuite pectus,
Cecropiæ & plenum gestas, AEPLINE, Camœnæ,
Hinc nostras agitans haud quaquam inglorius artes
Multa immaturâ reuocasti à morte tot annos
Corpora, crudeles ausus compescere morbos.
Et non tandem operæ fructum, non nostra reportes
Præmia, quæ non rarò etiam sibi Thessalus effrons
Arrogat? an nescis, anni vt pradentur euntes

Sin-

Singula de nobis? solum virtute paratum
Stat sine morte decus: stant ornamenta vigentq;
Ingenti: hæc decreta tibi ne respue porrò!
Audiit hæc Genitrix doctorum casta virorum
IVLIAS, & donis onerare assueta merentes
Purpureâ Aeplinum mitrâ, & parnaside lauro
Ornauit, digito insertans aurum: addidit ipse
Basia Phœbus ouans; & cum (inquit) pectus inani
Ambitione tibi careat; te gloria: fuci
Nescia, virtutis comes indiuisa sequuta est.
Inde tuum scabrâ tanget rubigine nomen
Nulla dies: nec sera quidem, quæ gloria vera est.
Dixit: Apollineus plausum chorus edidit altum.

OMNIVM RERVM VICISSITVDO.

MEntem in vtraq; gero fortunâ interritus vnam
Nam video, cunctis rebus inesse vices.

AQVILA ET ROSAE.

IOAN. VVOLFGANGI FREIMONII ab Oberhausen, in Hohen & Nider Essingen, Consil. Cæsarei intimi, & S. Imperii illustris Procancellarii, Viri omni laude maioris.

Rex

REx Aquila est Auium, Iouis est & Cæsaris Ales:
Suauius ecquid habet Chloris amœna rosis?
Quàm virtute tuâ digna hæc Insignia? quàm sunt
Fortunæ, & generi propria, & apta tuo!
Nam dum Cæsareas moderaris, & euehis alas,
Ales te pariter Cæsaris alma vehit.
Hinc latè iactas famæ florentis odores,
Instar purpureæ, candidulaue Rosæ.
Et tamen & sensim, veluti Rosa verna, liquescis
FREMONI, Generis Flos, odor, aura tui.
Hinc Aquila exclamat: VELTANDEM TERO desiderio terminus iste tuo (MINVS ESTO:
Longus! at AVGVSTO non longus! viue, valeq;
O Aquila: ambrosiæ crescite vosq; Rosæ.

IN INSIGNIA MARTINI KINNERI à Scherfenstein.

SI quis Cæsareo meritò inclarescit honore,
Te meritò indultu Cæsaris armat honos.
Si quisquam titulos sorte & virtute tuetur,
Te Galea, & meritò fulua Corona decet.
Dat decora hæc CAESAR: DEVS incrementa Bonorum:
Non bonus es, si te non petit Inuidia.

CON-

CONVICTORIBVS MEIS,

Exhibitâ oratione meâ de Concordiâ.

FAusto omine omnibus Suis Concordiam,
A qua pium gerit nomen Frencelius,
Donat, dicat, commendat, atq; consecrat.

IN HORTVM PHILOSOPHICVM M. MART. MYLII, celebris GORLICIORVM Scholæ Rectoris, Viri doctissimi.

MOllis in herboso quondam Gargetius horto
Dicitur insignes instituisse scholas.
Vnde reportauit si quæ præconia famæ;
Quantò maiori laude vehendus erit,
Qui Sophiæ auspiciis tam pinguem conserit hortum
Arboribus, plantis, floridulisq; comis:
Heroinarum vt Phœbo adplaudente Senatus
Certet cum socius hunc habitare tribus.
Hæc MYLII curæ debetur gloria, cuius
Castaliæ ingenio nobilitantur aquæ.
Quis non deliciis caperetur nobilis horti,
Quem Dea vult omnem quælibet esse suum?
Hic cum virgineo licitum est consuescere cœtu:
Accurre, amplexus & pete, quisquis amas.
Gratior ad ripam situs est, & amœnior horti:
Hic torus, hîc flores, nectar, & ambrosia.
Hîc

Hîc vinclo, hic castis firmat connubia votis
Ordo Patrum, Sophiæ quos fouet aula Deæ.
Quid mirum, hoc MYLII si fama virescit in horto,
Hospes cum tanti sit bonus ipse Chori?

CASP. IONAE FREISTADIENSI LL. Candidato.

VEntum est ad metam, IONA: cape præmia curs:
Ecce tibi sertum porrigit alma Themis! Jus:
Cum pede tende manum, nec despice gaudia patris:
Perge, cape, & Patriæ redde, quod accipies.

IOACH. LVDECO DE PARTIbus similiaribus in IVLIA disputanti.

LOqui diserte, disputare propriè,
Exactiusq; examinare singula
Minuta, nostri corporis de partibus,
Tantum requirit artis & scientiæ,
Quantum pudoris & piæ reuerentiæ,
Iussu Dei, debetur illis partibus.
SIGFRIDVS ergo laudis ingens præmium,
Quo Præside his tu disputas de partibus,
Meretur, & tua te LVDECE gloria

Merces

Merces manet laboris integerrima.
Et iam iam Apollo, herbis potens salubribus,
Vt innubæ Lauri sacris de frondibus
Geniale nectant vertici sertum tuo,
Ni fallor, annuit nouem Sororibus.
Tuum est iter ceptum impigro percurrere
Gradu, fouere animo & probo hanc sententiam:
Quò plura discis, plura mente feruidâ
Semper tibi discenda: verum hic ad decus
Et culmen Eruditionis est gradus.
„Ah fumido hoc quàm seculo ad scientiam
„Multi venirent, nî putarent, se diu
„Venisse: felix, qui parum sibi vendicat!

INVIDIA.

INuidiæ tantum si flamma capesseret æstum,
Quantum ignis, ligni gratia nulla foret.

CASP. FROLICH, Affini meo, V. nob. & spectatissimo.

ACcipe primitias operum, Caspare, meorum,
Et Dantis mentem, & pignus amoris ama.
Sum tuus, vt nosti: nostrum ipsa loquetur amorem
Posteritas: quid vis amplius? esto meus.

TILE-

TILEMANNO IVDESHERZOG disputationes Iuridicas edenti, V. excellenti.

SPlendido legum Tilemanne, cultu
Vt tibi famam & decus æuiternum acquireres; totum studio dicasti
Te grauiori.

Sicq; te totum studio dicasti,
Legibus sis vt decus ipse factus:
Non opus teste est: spectmen quod edis.
Id probat vnum.

Ludit exsultim docilis Magistro
Te chorus doctâ iuuenum Palæstra,
Qui tuo firmant bene præparatum
Pectus ab arte.

Hic labor verè tibi sanctus atro
Eximet letho genialè nomen:
Laurus en sacro iuuenescit horto
In tua vota!

Nempe compensat studium omne virtus:
Sic nouem Musæ tibi serta nectunt:
„Quid? decem nectunt tibi serta Musæ:
Ridet Apollo.

IN TRACTATVM IOAN. BVRCHOLDI, IC. celeberrimi. DE MVTVO.

AD quem non, legum cui sancta Oracula curæ,
Et quicquid artis inclutæ est,
BVRCHOLDI sese penetrauit fama, tui olim
O IVLIA almi sideris?
Ex quo condidimus terrâ Senis ossa beati,
Nunc alter annus vertitur.
Et tamen haud alia ex alijs monumenta vigentis
Prodire cessant ingenij
Quale nouum hoc, STATI, cum laude emittis in auras,
Ceu Posthumum, de MVTVO.
Quid mirum; æternum post funera fama superstes
Si reddit illi Mutuum?

IACOBO CVRTIO CAES. CONsil. intimo &c.

ANnua dona fero CVRTI tibi splendide, quæ si
Digna tuo non sunt nomine, sacra tamen.
Et quia sacra, tibi non fortè ingrata futura:
Nam quæ sunt Superis propria, grata piis.
Quanta Viro ab pietas Lux est in principe! differt
Nil à plebe ferâ, qui pietatis eget.
Argumenta tui sunt in me multa fauoris
Edita: si grati pectoris vmbra placet,
Hoc Xenium placeat: paruis quoq; gratia rebus
Sæpe subest, magnis gratia sæpe deest.
En abiit vetus, & cursum nouus incipit Annus:
Hunc pia fortunent fata, IACOBE, tibi.

IOHANNI CAIO, SCHOLAE NEANDRINAE NVper Discipulo, nunc Magistro, ab illustri Academiâ Iuliâ indigitato.

EN tua Iuliades *præcingunt tempora Nymphæ*
Fronde sacrâ: duplex causa gubernat opus.
Exhausto merces persoluitur æqua labori,
Doctrinæ peperit qui melioris opes.
Vtq; legas docti vestigia sancta NEANDRI,
Calcar currenti partus hic addit honos.
Magna peris Caii! *sed fungere & viere vtroq;*
Munere: sic capies maxima, dante Deo.

CHRIST. FIRX EQVITI LIVONO, de Iustificatione in inclita Acad. Tubingensi disputanti.

VEstigare adeò te Sacra, quid audio FIRXI,
Et Cathedrâ doctis vt tueare senis?

Ordinis oblitusne tui es, cui turpius hoc est
Tempore nil, artes quàm didicisse bonas?
Non satis est, à Nobilibus differre quibusdam
Moribus, ingenio, sobrietate, fide?
Vis ornare, fouere, augere tot aurea dona?
Nobile vis studiis condecorare genus?
Rara Auis, & penè es miraculum hoc tempore FIRX
Sed quæri poterat quis tibi maior honos?

MART. KINNERO, DE COMOEdiis FRISCHLINI.

COmica Frischlini mitto tibi scripta poëtæ,
Sanguine Plautino quem reor esse satum.
Crede mihi, hæc nunquam te pellegisse pigebit:
Discutient curas quippe lepore tuas.
Dixeris: Artificem nostri Comœdia secli
Vix habet ingenio, vix habet arte parem.

IN DIE GREGORII,

AdGREG. RHENANVM, virum spectatissimum.

GRegorio hæc est sacra dies, nisi Calculus errat.
O vtinam tibi sit nomen & omen idem!
Quòd si nomen idem est, tu debita solue diei:
Quæ tibi sacra dies, est mihi festa dies.
Hac mea Cæsareo cinxit noua Laurea iure
Tempora: Res aliquid, credo, fauoris habet.
Nos coniungit Amor, quem Lux hodierna serenat,
Nomine sacra tuo, festa & honore meo.
En vt amœna dies! hanc sors imitetur amœna:
Duret amor, duret sæpe probanda fides.

FRIDER. GELHORN DE INIVriis disputanti.

FRIDERICE, cur tu disputas de Iniuriis?
Iniuriis an quòd nihil frequentius
Hac pessimorum iniquitate temporum?
Fortasse! verùm vtinam tuis tantum queas
Profectuum dare disputationibus,
Iniuriæ tollantur vt cunctæ simul!
Frustra sed hei tentabis hoc cum CLAMPIIS
Vel mille, tam doctis, disertis CLAMPIIS!
Antiquum iniquus obtinet Mundus, sui
Similis, procax, proteruus, asper, arrogans.
Quid ergo concludas boni de Iniuriis,
Tu videris. nihilominus laudabimus
Industriam tuam, eruditi & CLAMPII.
Tu fac genus tuum vetustum literis

Ornare pergas elegantioribus,
Sic non id afficies vel vná Iniuriâ.

INSIDIOSVM SODALITIVM.

Hic cui viuere maximè placebit,
Ceu mutus nihil efferat, placebit:
Audiens nihil audiat, placebit;
Et videns videat nihil, placebit.

M. CHRIST. CAESARI DE FILII nouis honoribus.

CErnis, vt annosa de cortice surculis Vlmi
Pullulet, aureolas explicet atq; comas?
Cernis, vt Halensi *surgat de Cæsare Cæsar,*
Et patrii renouet nominis omne decus!
Cuncta Seni similis venerando Filius artes,
Ingenium, mores, nominaq; apta Rei.
Lipsia testatur, Iuuenem dum fronde coronat
Daphnæâ, & SOPHIAE regna subire iubet.
Sic oritur Sol, & sic occidit, & sua rursus
Quottidie roseis lumina promit equis:
CAESARVM honorate ô Genitor plaude: occidis aut
Paullatim, at rursum surgis, & vsq; nites.

M. HEN-

M. HENR. POSSELIO ROSTOchiensi, DE DONATIONIBVS in IVLIA disputanti.

QVis, quando, quantum, quomodo, quare, cui
Donare possit? quæritur.
Hîc arduis Antistitum prodit Scholis
Astraeæ Alumnus inclutæ:
Cathedrâq; de celsâ boni Natus Patrîs
Non degener POSSELIVS
Respondet aptè, affirmat, & negat; probat,
Et improbat; cuncta ordinè.
Doctè, expeditè, & Iuris ad normam sacri:
Audit Themis, plaudit Themis:
Et bocce de DONATIONIBVS probum
Donatione prosequi
Specimen perenni gaudet: addit optimus
Votum CHYTRAEVS entheum:
POSSELIO HAEC DONATIO RATA
Audit Themis, plaudit Themis. (*SIT! & hoc*

M. SAM. SCHARLACHIO, VIRO doctissimo, Ex itinere.

QVi te sincero semper complexus amore est,
Plurima Frencelius per loca fessus, adest.

RESPONDEBAT ILLE.

QVem si fata virum seruant, si vescitur aurâ,
Nemo mihi quisquam gratior hospes adest.

GEORGIO ET CHRISTOPHORO à NOSTIZ, in Ranſen &c. Fratribus Germanis, nobiliſſimis Iuuenibus.

VIrtutis Comitem Fortunam quisquis ab vsu
Dixit, is expertus plurima forsan erat.
Nostici dûm Exemplo Gens est, quos strenua virtus
Extulit ante alios Martis & artis ope.
Censuit hos inter vos, ô par nobile Fratrum,
Fortuna auspiciis nuper amica bonis.
Imperio Dominæ firmoq; Pediſſequa ductu
Censuit; arbitrio sed præeunte Dei.
Hic vestris porrò conatibus annuat opto,
Augeat ille animi, corporis ille Bona.
Per vos vt generis splendor, seriesq; nepotum
Ante homines crescat, crescat & ante DEVM.
Opto futura: sauet cultoribus inclita virtus,
Et bene qui vixit, præmia semper habet.

M. MAT-

M. MATTHAEO RHEDIGERO Sileſio, viro eleganter docto.

RHEDIGERVM in cunis amplexæ mollibus vl-
Deuinxêre sibi fœdere Pierides. (nis
Illi & nectareos instillauere liquores,
Policitæ studiis præmia digna bonis.
Nunc sequitur promiſſa fides, mercesq; laborem:
RHEDIGER Aonidum Lauriger ecce nouus!
Sponsus vt incedit, Phœbi Sophiæq; Sacerdos,
Neſcio, quod volues pectore maius opus?
Dî bene fortunent! capiat Reſpublica fructum
Inde, Deus laudem, Patria læta decus.
Gloria virtutis comes est, ceu Corporis Vmbra:
Ingenii præter dona perenne nihil.

Martino Hilario,
Iohanni VVegero,
Hieronymo Pannack, &
Hieremiæ Knoſelio.

MVSICIS SVAVISS.

Ex Electorali choro Sacelli Palatini diſcedentibus.

QVi Superûm ac hominum mulcent concentibus aures,
Angelico iunctum cum grege munus habent.

Hi quemcunq; locum, fato ducente, sequuntur.
Sunt in amore hominum, sunt in amore Dei.
Fallor! an hæc etiam continget gratia vobis,
Egregii Iuuenes arte animisq; pares.
Suauibus adiungit suaues qui moribus Odas,
Ille sibi illustres iungit amore viros.
Et meministis enim, quàm vos complexus amicè est
Ille Palatini Duxq; Paterq; Soli!
Nempe voluptatem non tantùm ex vocibus hausit;
Spectauit mores plus BONVS IPSE Bonos.
Hinc si ducetis posthac, velut hactenus, æuum:
Alliciet reliquos Musica vestra Duces.
Ergo DEVM celebrate, homines laudate canendo:
Et modò susceptam continuate viam.
Musica Cælicolum decus est, hominumq; voluptas,
Musica virgineo semper amata choro.

M. IOAN. ANTELIO SVECO, DE dignitate Magisterii.

MAgnum iter Elmanas ad Iulî ingressus Athenas
Quòd fueris, ne pœniteat te, IANE, Tuosue.
Non inde indonatus abis, dum clara laborum
Præmia, doctrinam & virtutem, Insigniaq; harum.
Quæ te secernant à vulgi fece, reportas.
His ergo ornatum reducem te patria, Regum
Suecia

Suecia magnanimûm sedes, vberrima tellus
Accipiat, semperq; tuos tueatur honores.

IOANNI GVILIELMO MEYERO VVIRTENBERGICO In IVLIA disputanti.

PAtria, præstantûm Genitrix fœcunda virorum,
De te promittat quid sibi, sciśne, tua?
Scis Meiere, *docesq; palàm, te scire; docenti*
Annuit, & sertum colligit alma Themis.
Audin? at est serto nodus. sapientia IVRIS
Haud facili eruitur nempe profunda manu.
Id quoniam auspictis hodie felicibus audes,
Dum legum nodos soluis, & arte secas:
Patria iure sibi gaudet, gratantia promens
Vota tibi, & meritò serta virago parat.
Macte! verecundis tibi Dux blanditur ocellis
Gloria, quæ studiis non nisi parta venit.

LEO PAVLLI GITSCHINII, Viri integerrimi.

SI Regem fecit, regem obtinuitq; Leonem
Sola inter rabidas Mens generosa Feras:

Si ruber ingenui est animi, si flauus honesti,
Cœruleusq; color si nota pulcra pii.
Si candor clypei candorem mentis adumbrat,
Postremus color hic debuit esse prior:
Candida si virtus famæ laudabilis Ala est,
Quæ pennis terras tranat, & astra suis.
Ala duplex, Leo magnanimus, splendorq; colorum
Virtuti ex merito sunt data signa tuæ.

OBLIVIO REMEDIVM mali.

QVæ pateris, perfer: durarum obliuio rerum
Certa medela animi deficientis erit.

SOTERIA PRO ANDREA DE REIGER, Consiliario Brandeb. Electorali, viro nobilissimo.

ECquis adhuc curare neget mortalia Numen,
Idq; cauere bonis, idq; fauere viris?
Ecce reuiuiscit morbo REIGERVS abacto,
Vicinissima cui mors fera nuper erat.
Dextra tamen miranda Dei vicinior ægrum
Restituit vitæ, restituitq; Suis.

Scili-

Scilicet Antistes Themidi ne deforet almæ,
Præsidium populo, consiliumq; Duci,
Lux Patriæ, Musis columen, virtutibus hæres,
Vir Sophiæ, proli Spes, generiq; decus,
Hinc plausu, & votis gratantibus æthera complent,
Ingeminant grates, ingeminantq; preces
Dux, populus, Musæ, virtutes, Patria, proles,
Casta SOPHIA, genus nobile, diua Themis.
It clamor cœlo: pia fata cauete, fauete
Reigero, cuius gloria vestra salus.
Noster iò Antistes, præses, consultor, & hæres,
Vir, columen, Spes, lux aurea, viuat iò.

GVILIELMO GROS VVRATISL. de Præsagiis Medicis disputanti.

QVis modus, & quæ Lux sit decretoria Morbi,
Quæ sit in euentu sæpe locanda fides?
Hoc opus, hic labor est Medicis edicere! verùm
ASCLEPI hoc tentat, nec malè tentat, ope
Eiusdem Pullus GVILIELMVS, nomine MA-
Qui sic si perget, Re quoq; Magnus erit. (GNVS;

SEVERINVS SCATO, MEDICVS Pragensis, Sal. Frencelio S.

Pran-

PRandendum est: inuito virum, mihi vt hospes ad-
Dignetur; solum inuito, vt & esse cupit. (esse
Frencelium inuito pro multis, solus vt adsit:
Solus enim multis ille mihi potior.

FRENCELIVS SEVER. SCATONI Medico insigni.

SCATO, negare tibi nil ausim: ast obsecro, si quam
Ista moram patitur res modò, differ eam.
Namq; hodie sibi FREIMONIVS me iussit adesse:
Parendum est: totus cras ero, SCATO. tuus.

CALENDIS IANVARII, Anno Salut. human. M. D. XCIX.

XENIVM

Generoso & nobilis. V. DAVIDI HILCHEN S. Regiæ Maiest. per Liuoniam Secretario, & florentissimæ Reipub. RIGENSIS Syndico, optimè merenti.

HILCHENI, Antistes Patriæ, & Spes maxima,
Non videā absentem, vix abit vlla dies. (quā te
Ne viuam, si non vox hæc est congrua cordi,
Quo te contueor, quoq; sabinde fero.
Nempe

Nempe tua id, dudum celebrata, scientia rerum,
Et virtus omni maior honore facit.
Vtq; argumentum capias, tibi strenula voto
Mittitur (haud munus vile) probata pio.
Nam precor, vt CHRISTVS, cuius flectentis eunt
Numine, in hoc Anno te, velut antè, tegat. (Res
In sano seruet sanam tibi corpore mentem:
Hoc summum est nostræ prosperitatis opus.
Cætera, quæ nolim hoc anno tibi IOVA secundet,
Nullis fortunet Messibus Ille mihi.

AMICO PROBATISSIMAE fidei.

ME verò ne me, ne desere, desere ne me,
Dum licet, & fidei norma probanda venit.
Nobile Patroni pro Re, pro tempore nomen,
Qui potes, optatā promerearis ope.
Gaudebis, fuerit tibi cùm perspecta deinceps
Nostra fides: potes hoc credere? saluus amor.

NOB. ET MAGNIFICO V. D. IOAN. IAGEMAN, potentiss. DVCIS Brunsuicensium Consiliario, & Cancellario.

De Ipsius Symbolo:

INVIA

INVIA VIRTVTI NVLLA VIA

Per ἀναγραμματισμὸν Nominis.

IOHANNES IAGEMAN.

Ah Ingenioſa mane!

SI via virtuti nulla inuia; *nominis omen*
Dulce characteres quis neget eſſe meos?
Nam, cum Virtuti via nulla ſit inuia; *quid non*
Tota ſit hæc ſtudiis ingenioſa bonis?
Ergò, lates noſtro quæ condita nomine, VIRTVS
Audi hæc Cultoris vota profunda tui:
Per te nulla mihi fuit hactenus inuia RECTI
Semita: tu curſus flecte deinde meos.
Scilicet hoc, à te quidquam ne me auferat, oro;
Sola mihi ô Virtus INGENIOSA MANE.
Ingenioſa mane: manè ingenioſa precanti
Adfer opem: via ſic inuia nulla mihi.
Quærit opem nam manè tuam quicunq; manere
Hunc non vlla poteſt veſpera, plena doli.
Manè, hoc eſt, teneris te ſum ſectatus ab annis:
Ergo mane ah *poſthac* ingenioſa *mihi.*
Ne per turpe nefas, via cui tota inuia, Lucis
Veſpera tam planum deuia rumpat iter.

EIVS-

EIVSDEM IDEM SCITUM.

QVid ludis Fortuna Bonos, felicibus vti
An nullum fatis te ſine poſſe putas?
Scisne, comes cui ſis? quòd ſit Regina, *negabis?*
Quòdq; facultates ampliet illa tuas?
Virtuti Fortuna Comes *notiſsima vox eſt,*
Et vox: Virtuti eſt inuia nulla via.
Agnoſcis Dominam, *cui ſi non inuia in Orbe*
Vlla via eſt; ludis quid malefida Bonos?
Virtutem teneris qui conſectatur ab Annis;
Huic, toto floret quicquid in Orbe, patet.

ANDREAS CLVDIVS DOCTOR.

καθ' ἀναγραμμ.

RES LVDO CANDIDVS Actor.

ME ſanctæ voluit Themidos DEVS eſſe Miniſtrũ:
Huc Ille ingenium contulit omne mihi.
Sæpe tamen LVDO ſpecie RES Iuris honeſtas,
Iuſticiæ vt videar contemeraſſe thronum.
Aſt ego, quas ludo res, ludo iure, feroq;
Hinc palmam, atq; boni nomen vbiq; viri.

Nam ludo occiduæ malè sarta ænigmata caussæ,
Et caussæ laudo candidus acta bonæ.
Hinc variè laudo, & LVDO RES CANDIDVS
Ne famæ labes hæreat vlla meæ, (ACTOR
Sic vigilem Themidos sic me iuuat esse Ministrum!
Sic sors est Caussis hactenus æqua meis.

IOAN. FROBENIO AFFINI MEO, Viro spectatissimo, Poëtæ elegânti.

ECce redux adsum, FROBENI, corpore saluo,
Longum emensus iter, flexibilesq; vias.
Cras prima cum luce meos remeabo penates,
Si me vis hodie IANE videre, veni.

MART. KINNERVM V. PRAEST. Inuito ad Encœnia.

MOs patribus geritur priscis: Encœnia nempe
Iam redeunt, Aedi festa dicata sacræ.
Nulla superstitio, sed consuetudo remansit,
Gaudia deuotas inter inire preces.
Hinc optant genio nostri indulgere penates,
Conuiuasq; gradus accelerare iubent.
Sed quos? tres Charites, Phœbumq;, nouemq; Sorores,
Quinq; hæc cunq; pia Numina mente colunt.
Hù,

Hù, MARTINE, Ceres famulatur simplice cultu,
Sed, præscire volo te quod, Iacchus abest.
Num tua, vel cuius nostro præcluserit illum
(Nam precio capitur) nescio, cella lari?
Sed te, seu veniat, seu non, inuitat Apollo,
Quæq; fauet campis spicea Diua tuis.
Hìs eris Hospitibus gratissimus Hospes, & horum
Munere speranda est vnica lauticies.
Ergo veni & votum nostris superaddito votis:
Hæc fuerint humilis fercula prima foci.
Fòrs, vbi tam pulcram spectabit adesse Coronam,
Nec procul hinc liber compede Bacchus erit.

AD EVNDEM. De dono chartaceo hominis Nauci.

HEm, Kinnere, tibi dat nobile munus Amicus
Nobilis, vnde domus nobilitata tua est!
O te felicem, tantus cui contigit Author.
Ambigo de quo, sit doctior? an probior?

VERITAS, Super Idyllio de LAVRO: quòd in opere Elegiarum reperietur.

NObile conqueritur VERVM, quòd porrigat aures
Nemo sibi. Inuolucris se petit ergo legi.

OPTIMVM QVEMQ. OBNOXIum esse calumniæ.

Ad FLORIANVM DAVL Theol. emeritum.

CVr mirare, facete FLORIANE,
Quôd te COLLIBII, tot incitati
Fortunæ furiis, subinde vexent,
Et armis iugulent calumniosis,
Cum stes impauidus, senexq; vitam
Ducas incolumem, fremente Catto?
„Non est iudicio meo bonus vir,
„Quem non tela petunt calumniarum.
Quem doctrina, genus, parensq; virtus,
Vt te, nobilitant; triumphat, hostes
Ridens Collibios, putresq; Cattos.

LAVS VIRTVTE PAranda.

SI nondum es meritus, quibus exornaris, honores:
Fac posthac studiis promereare bonis.

HENR. BOETHIO S. THEOL. DOctori, Collegæ meo, V. CL. & doctissimo.

Hæc

HAEc lætâ peragenda tibi lux fronte BOETHI
Namq; est clara tuo nomine, grata mihi. (est:
Per se nomen habes pulcrum: sed pulcrius omen
Suggerit occasu lux hodierna suo.
Cerne, serenatis vt matutina sequatur
Nubila læta comis vespera, læta tibi!
Sera serenatâ sic fronte senecta BOETHI
Excipiat vitæ tempora prima tuæ.
Hæc, Henrice, piâ SALOMON tibi mente precatur,
Omnes ingenuo qui colit ore Bonos.

VITAM RVSTICAM ESSE laboriosam.

M. STEPH. HENELIO, Theol. præstanti.

TE, quid ô HENELI nostras perfertur ad aures,
Linquere mutato mœnia velle loco? (res,
An satur vrbani strepitus viridaria gaudes
Liberiore boni ruris obire gradu?
Inceptum fortunet iter studiumq;, quod vrges,
Cui tua sunt curæ fata precesq;, DEVS.
Delicias equidem spirat sors rustica: sed sunt
Rure tamen curæ, Gensq; domanda fera est.

„At pia nos quò fata trahunt, retrahuntq; sequamur:
„Ipse Suos sapiens ducit alitq; DEVS.
Nec dubita, Ductore Deo, te figere sedem,
Nostra cui curæ est morte redempta salus.
Si Doctore pio Gens indiget vlla grauiq;;
Crede mihi, hoc studijs dedita Ruris eget.

IN PERIOCHAS SACRAS MEL. SEVERI, Illustris Gymnasii Brigensis Collegæ, Poetæ & Viri boni.

TE Schola docta sibi prognatum dicit, & illud
Comprobat ingenii dexteritate tui.
Digna tuo senio, genio, ingenioq; SEVERE
Gloria! sacra doces ore, stylóq; probas.

IN DONVM IOAN. GEORGII à VVERDENSTEIN. Canonici Augustani, & Eichstadiensis; Illustriss. P. P. Bauariæ Consiliarii, Viri nobilissimi, & Bonorum omnium veneratione dignissimi:

Quod erat: MARCI VVELSERI viri itidem nobilissimi & doctissimi Liber elegantissimus de reb. Augustanis vindelicis.

Si nescis, hoc quis dederit mihi pignus Amoris,
Ipsa dedit probitas, Ipse Amor, Ipsa fides.

ABRA. SCHVVALBIO MEDICO præstantissimo, de communi periculo, quod euasimus.

QVod si certa fides incertis rebus Amicos
Comprobat, ah quis te certior alter erit?
Ense ferox cùm nos, ipsis sub mœnibus, hostis
Igne interceptos turpiter obrueret:
Vna tibi atq; mihi vitam abstulit, vnaq; eandem
Reddidit, hei nimiùm sanguinolenta dies.
Vna & spes ambobus erat, tremor vnus, & horror.
Impressusq; animis vnus erat tumulus.
Vna vtrumq; rapax manus expilauit, & armis
Exsuit, hinc vnus fregit vtrumq; dolor.
Spontè sequebatur plantis titubantibus alter,
Vnum quò præceps cunq; ferebat iter.
Vna dies Patriæ nos reddidit, vna saluti:
Ceu letho dederat nos priùs vna dies.
Mutuo & æternùm non exundemus amore,
Nec stet propitio gratia nostra Deo?
Sis mihi tu Pylades, & ero tibi fidus Oreſtes,
Dimidium ô vitæ dulcis ABRAME meæ.

Esse Deo nostram curæ ipsá in morte salutem
Qui negat, hic Patrem pernegat esse Deum.

DISCIPLINA MORVM.

Ad summæ spei Puerum, Nob. V. GEORGII à DHYRN in Oberherzogvvalde &c. primogenitum Filiolum.

A teneris operam innocuis dare moribus omnem,
Hisq; ornare animi munera, disce puer.
Ingenii quamuis excellentissima magni
Sordida vita tamen sordida dona facit.

IDEM.

In litteris qui proficit,
In moribusq; deficit,
Plus deficit, quàm proficit,
Simulq; multis officit.

FINIS LIB. I. MISCELlaneorum.

GENE-

GENEROSO NOBILISSIMOQVE DOMINO GVLIELMO AB INHAVSEN, & KNIPHAVSEN, Domino & Capitali in Luzborch, Bargum, Iennelt, & Vpsevverd, Frisiæ Nobilitatis Lumini.

Domino & Amico meo plur. obseruando,

SALO. FRENCELIVS S. P. D.

CVm nuper à Collegis tuis, Magnifice Domine, legatione perfunctis, in reditu hac transeuntibus abesse te acciperem, gaudium illud ardens, quo ex nuncio de ipsorum aduentu mirificè efferebar, in primo congressu nostro nonnihil in me frigescere sentiebā. Vbi tamen ex Caspare Mollero Reipub. Embdensis Secretario, Viro præstante, cognouissem,

sem, te aliá viá ad excipiendum Filios tuos, è Galliis reuertentes, præcessisse, affectui meo paullatim resistebam. Non enim inuidebam tibi hanc felicitatem, & incredibile gaudium: sed potiùs tacitá quadam comprecatione gratulabar. Quid enim patri potest, euenire optabilius? quid iucundius? quid maiori cum honore, quàm Filios ab Exteris redeuntes excipere, complectique incolumes, & quod potissimum est, bonarum literarum, optimarumque virtutum ornamentis perpolitos? Subdolebam tamen, eripi mihi conspectum tuum, & colloquium, quod auidè animo impresseram meo, toto tempore, dum tu ad OPTIMI MAXIMIQVE CAESARIS thronum vigilares. Vt autem huic dolori aliquo modo mederer, tuique desiderium, quod anno ab hinc tertio, mihi ab eodem throno, simili munere functo, discedenti reliqueras, aliquantulum lenirem, cœpi ad te meditari nescio quid literarum. Dum hoc ago, incido in euulgationem horum libellorum; quos cum non sine honestis caussis, sub amicissimorum quorundam meorum nomine apparere discupiam, subitò impellor, vt te in hunc ordinem adscri-

adscribam: tum vt denuò meum tibi animum adumbrem, quanti videlicet te faciam: tum vt pro Munere tuo haud leuidensæ, quo cum Collegis tuis mea χειμήλια, Regum Principumque Virorum dona, ea quidem nec multa, nec nimis magna, nec tamen nulla, superiori anno auxisti, aliquid gratiæ leuiter significem. Quanquam quid huiusmodi Chartulis referam, cum potiùs nouum tibi extorqueam beneficium, dum abs nominis tui splendore huic opusculo lumen mutuo? Tu tamen, GVLIELME quæ tua est prudentia, & humanitas, animum meum, non hanc reculam, intueberis: & vel hoc modo tecum in colloquium venire mihi permittes: præsertim cum intelligas, mei te videndi complectendique desiderii caussam neutiquam esse futilem, siue illiberalem: sed Eam ipsam, quam tu in recondito tuo Emblemate circumfers, vt eã mihi in hoc Instituto optimo iure vendicare, atque exclamare queã. HOC VIRTVTIS AMOR: hoc inquam mihi expressit. Proinde nihil abs te peto amplius, nisi vt tuus in me amor veteraſcat. Sed audi, quid aliud mihi in mentem veniat, dum hæc scribo, quod te diligenter

terrogem ? Audio eleganti ingenio, & venustissimis moribus esse tuos Filios. Obsecro te, perge studia ipsorum paternâ curâ prosequi, vt in bonis literis, & doctrinâ virtutum porrò quam optimè educentur, vt habeamus Tui similes, vel vt Te ipsum longâ olim senectute confectum in illis florentibus conspiciamus. Vides, quot abortus faciat hoc prodigiosum seculum, etiam in vestro ordine! vides, quantum non tantum ornamentum, verùm etiam præsidium sit in literis, homini liberali, & excelso loco nato, in omni vitæ genere, etiam in Militiâ; testibus tum veterum historiis, tum Exemplis nostræ huius senescentis ætatis! Sed quò digredior ? Hoc GVLIELME, hoc inquam virtutis amor, quam ego in te exosculor, mihi expressit. Scio te facere sponte officium. Sed & tu non nescis, etiam Equum generosum incitatiore gradu ad metam properantem instigari. Nec improbabunt opinor hanc meam Exhortatiunculam Filii tui, quos nunquam visos amo: eisque tam fortunatis has pagellas, & quicquid est huius farraginis, strenulæ loco, circa huius anni auspicium, non minùs gratas, quàm tibi esse

esse volo, tam fortunato patri. Qui cum illis totaque tuâ illustri familiâ à me saluebis, & optime valebis, optime mi & generose KNIPENHVSI. Ex Iulia Calend. Ianuarii, Anno 1599.

SALO-

SALOMON. FRENCELII MISCELLANEORVM

LIBER SECVNDVS.

VIVAT RODVLPHVS.

FAta fauent votis, TE CAESARE: vota labori:
Viue igitur, viue ô viue RODVLPHE, diu!

Pragæ, In Cœnâ Augustali, allato lætoex Vngariâ Nuncio.

VIVAT HENRICVS IVLIVS.

VIVAT ELISSABETHA IVLIA.

Calendis Ianuarii, Anno salut. M. D. XCVIII.

In Cœnâ eiusdem Reuerendissimi & Illustrissimi Principis mei, Eiusdemq; iussu ex tempore,

Accumbente Legato Cæsario Illustri Barone Dom. CHRISTO. à Schleiniz.

Quò

QVò plures, tantò hei peiores viuimus annos,
Et prior est melior posteriore dies.
Ergo opus est precibus, sine queîs RESPVBLICA
Estq; hic prima throni cura, secunda tori. (friget:
Viuant, qui vigilant pro CAESARE! viuat IV-
HENRICVS, viuat regia ELISSA diu! (LVS
Perfidia hoc tandem paciscat, & occubet anno:
PRO PATRE, PRO PATRIA, stet vige-
atq; FIDES.

TRAVTHSONIORVM

Illustris & laudatissimæ Familiæ Insignia.

Ad Illustrem & generosum Dn. Dn. PAVLLVM SIXTVM TRAVTHSON, Consil. Cæsaris intimum, & supremum Marescalcum &c. nuper à Cæsaria Maiest. in Comitum familiam omni merito solenniter vltroq; adscriptum.

THrautsonidûm *vigiles animos, cautos, placi-*
Gallus, puluinar molle caperq; notant, (dosq;
Summorum his Ducibus superarunt culmen honorũ,
Cara ô Cæsaribus pectora semideis!
Dum loquor, en Comitum Cæsar transcribit in Albũ
Te PAVLLE, ô generis Lux noua SIXTE, tui.
Quàm meritò! quæ non viuendo secula vinces
Nominis ô AVTOR maxime PAVLLE noui?

IV-

IVDICIS OFFICIVM.

Non quis: Sed quid.

Symb. Magnifici & nobiliſſimi V. IOAN. HARTMANNI ab Erffa &c. Illuſtriſſimi Duc. Brunſ. & Lunæb. Cellis Conſiliarii Primarii.

ESſe Magiſtratum (res eſt odioſa, rogare)
Lumine cur captum, cur manibuſq; decet?
Attendat, non quis? ſed quid? nec dona capeſſat,
Aſtræam turpi proſtituens precio.
Ad clauum quicunq; ſedes, quæs porrigis aures
ACTORI, has æquo porrige iure REO.

INVIDIAE VIRVS VIRTVS domat.

MEVM.

INuidiæ virus virtus domat vna: quid ergo
Liuida, Virtutem dum colo, monſtra moror?

PRIVS SATISFACIENDVM amori Muſarum, quàm Veneris.

DE

DE MELCH. GERLACHIO ad gradum Magiſterii aſpirante.

NVper caſta Venus, non illa Poëtica Cypris,
Tali eſt Grynæo voce locuta Patri:
Phœbe, ſatisne diu tua caſtra choroſq; ſequuto
Nunc mea Gerlacho regna ſubire licet?
Nil artis, nil laudis habes, quod Melchior iſte
Indultu obtinuit non, pater alme, tuo.
Ergo meis nondum manibus ſubmittis Alumnum?
Qui te dignus erat, me quoq; dignus erit.
Scis me, Phœbe, tuo medicamina ferre rigori,
Et contermina ſcis caſtra mea eſſe tuis.
Huic Pater: alma parens, & nos diſcordia quando
Diſtraxit? tuus eſt Melchior, *eſtq; meus.*
Sed facili fer mente moram; tibi carior olim,
Quàm ſperare potes, noſter Alumnus erit.
Quod noſtro Arbitrio, noſtræ ditionis ad Albin,
Auſpice continuet Numine, reſtat opus.
Reſtat, & vt ceptos cum fructu integret honores,
Vota Venus preculis talia iunge meis:
Docte, modeſte, tenelle, venuſte, & muſtee Fili,
Carpe viam Chriſto præſide, carpe viam.
Noſter es: hinc ceptos ſi perpetuabis honores;
Dicemus: Cœlum ô, terraq; munus habe.

QVATVOR VOCVM MVSICArum propria.

BASIS.

MVsica concentus noſtræ fundamine vocis
Fingit, vt haud fiat me ſine dulce Melos.

TENOR.

HArmoniæ mea Vox anima eſt, gaudetq; virili
Gutture, & hinc medio tracta tenore ſonat.

ALTVS.

ALtâ voce vagor per tot diſcrimina vocum,
Me, ſine Naturæ munere, nemo canit.

CANTVS.

DVlceſcit demum modulamine Muſica noſtro,
Et ſine me nulla eſt gratia, nullus amor.

VERA NOBILITAS.

Ad nob. & ampliſs. V. ANDR. REVSS. illuſtri Reipub. VVratiſlauienſi à Secretis.

QVid, Virtutis egens, ſolis Eques aureus armis?
Ipſe ſuis Atauis dedecus, Ipſe ſibi.

Quid,

Quid, virtus alitè cuius luceſcit in armis?
Ornamentum ingens ſtemmatis Ipſe ſui.
Quot ſunt, priſca crepant qui magno Inſignia hiatu,
Quos, quid Nobilitas ſit genuina, latet?
Te verò, REVSSI, quem res bene geſta tuetur,
Cæſareus meritò nobilitauit Amor.
Arma tua illuſtrat Virtus, rumpantur vt illis
Ilia, Maiorum qui rudè nomen habent.

M. IOAN. ALBINO PROFESS. LIPS. V. CL. de donato Virgilio.

ANdini rapuit diuina Poëmata vatis
Fur mihi, dum gelidum carpo viator iter.
Andini donas, ALBINE, poëmata Vatis
Tu mihi, victuræ pignus Amicitiæ.
Aut igitur vates Maro non eſt maximus, aut me
Tu prorſus magno munere, IANE, beas.

IOCVS AD PODAGRAM, VVENZESL. RAPHANVM Medicum excellentiſſimum infeſtantem, & interim ad dextrum pedem meum aditum rimantem.

QVos, ô luxurians Podagra, mittis
Præcones rigidos meas ad ædes,

Aduentu nimiùm superbientes
Ingressuq; tuo? nihil negocî est
In parui tibi corporis medullâ,
Aut esse, aut cute: nec laboro scire
Quâ sedem soleas locare parte.
Quin me præteris insolente gressu, &
Reuisis veteres tuos Sodales,
Quos mirè RAPHANVS coruscat inter.
Te tractare decenter ille nouit
Puluinaribus, & cibo, & falerno,
Et vir quicquid habet suauitatum.
Hoc sis Hospite lætior puellis,
Hoc iucundior omnibus Puellis,
Hoc lasciuior omnibus puellis,
Quantò es durior omnibus puellis.

COMITIBVS ME LIPSIA ABeuntem comitantibus.

I Amq; valete, valete mei suauissimi Amores,
Et SALOMONA bonos inter habete viros.

MAGNIFICO V. THOMAE à KNESEBECK in Tilehsen, &c. Consiliario Electorali Brandenburgico, Marchiæ Phœnici.

Hæc generosè tibi, KNESEBECCI, carmina mitto,
Ingenii adductus nobilitate tui.
Inuenies variè doctam adsicientia mentem,
Flens mecum mundi triste ruentis opus.
Arrisisse tibi quas si cognouero chartas,
Et leue te plectrum vatis amare humilis:
Quæ mihi non stimulans accresceet gloria demum,
Tu quoq; in his rudibus quando legêre libris?
Nec quasuis laruas; sed quos tantùm aurea Virtus
Commendat, memori laude per astra veho.

EXVLAT HODIE CHAritas.

Ad IOAN. RICHTER Reipub. Oppauien. Senatorem, Virum præstantem, & candidissimum.

DE te quid alma iactet vndiq; CHARITAS,
An IANE nescis, ô Vir integerrime?
Misera Exul hei (sic inquit illa) quærito
Sedem mihi mansuram vbiq; gentium.
Frustra sed hei, frustra sed ehei quærito:
Donec DEVS mihi IOANNEM IVDICEM
Inuénit æquum nomine & Re Iudicem.
Ingressa vix eram boni domum viri,

Quùm Cœlitum pœana gratulantium
Vocantiumq; me, meumq; Iudicem,
Ad Iudicem ter optimum, ter maximum
Audirem, Olympo personante plausibus.
O IANE felicissimum te te hospitem
Hac Hospite! ecquid rarius, quid CARIVS,
His efferatis temporum est abortibus,
Mortalium illis, seriò curæ quibus
Cordiq; Charitas? sed ô, quid Charitas?

IN SCHOLAM SAEPIVS REformatam.

CVm tibi Sol faueat; dic, cur Lunatica tota es?
Crescis, decrescis; nec tamen integra sis.

COMITANTIBVS ME EX ARgentina, In Ponte, extempore.

QVò nos fata trahunt, Socii, retrahũtq; sequendũ
Mens hominum est menti subijcienda Dei. (est:
Patria me reuocat, rerum studiosa mearum:
Inuitus vestro distrahor à gremio.
Distrahor hoc tenui iam corpore: pectore totus,
Quo me cunq; trahent Numina, vester ero.

Audi-

Audite hæc Comites, lepidissima pectora, Fratres;
Et si quid Fratris nomine dulce magis.
Audite, & nostram, (ceu fas) agnoscite mentem:
Inuitus vestro distrahor à gremio,
Fata volunt, eademq; volent, nos iungat vt olim
Vna dies, ceu iam dissirahit vna dies.
Sum vester, vos este mei. sed quid loquor? estis:
Plura dolor fari non sinit: ite domum.

OPTIMAE REIPVB. FORMA.

Ad Magnif. V. DAVIDEM HILCHENIVM. Rigensem: De Ipsius Patriá.

QVi iudicare de Rei vult publicæ
Statu; SCHOLAE ad formam, sacrorumq;
Attentat: hæc si constituta sunt probè, (erũdnem
Decenter, aptè, fructuosè, & integrè:
Horarum habetur insuper dimensio
Si certa; prudentissima hæc Respublica est.
Exempla promam? instar mihi sit omnium,
Nulloq; sit negante, qui dignus fide est,
Tua RIGA, RIGA inquam tua HILCHENI
Famam vltimo suam mari quæ terminat. (inclute,
Hanc ergo, quiq; præsident huic, Deus
Defendat, ornet, augeat, tegat, regat.

SAEVIENTE FORTVNA.

Ad Mecœnatem meum primum & optimum, GVILIEL. ab OPPERSDORF, Baronem inclitum.

TV mea diuersis exercita tempora fatis
Subijce Iudicio, magne Patrone, tuo.
Agnoſces facilè: mecum communia terris
Omnibus, ingenuis fata fuiſſe viris.
Agnoſces eadem, ſi quid mea carmina poſſunt,
Eſſe Patrocinio fortè leuanda nouo.
Quid dubito? deſixa Deo mea Pieris vni eſt:
Hinc fata inuenient per pia vota viam.

Scripſeram, quando cum eodem ex caſtris veniſſem.

IN DIE NICOLAI.

NICOLAO EVERHARDO IC. excellentiſſimo inclitæ Acad. Ingolſtad. Profeſſori, lugenti obitum Fratris GEORGII IC. itidem CL.

Si

Si vis, effectu careat ne nominis omen
NICOLE, qui Fratres vincis honore tuos;
Vince animum, vince adfectus; nec funera Fratris
Abripiant totum te tibi: vince metum.
Temporibus tribuenda ſuis ſua Iura: quid ergo?
An non NICOLEI Luce ſerenus eris?
Subrides? vicit victorem Muſa monendo:
Nubila diffugiunt pectoris, ora nitent.
O vtinam Nonas reuehat Lux iſta Decembreis
Tot tibi, quot felix hactenus illa tulit!
Lata tibi letum fecit victoria nomen:
Vince igitur, quicquid vincere fata iubent.

SAMVELI HORN, THEOLOGO veterano & erudito.

COrnu nomen habes; ferias, quos improbus error
Non ſinit officii commeminiſſe ſui.
Inde fluet meritò tibi Copia diuite cornu:
Mollis ita è duro nomine fructus erit.

DAVIDI GVNTHERO, VIRO doctrina & virtute præſtanti.

In reditu Itineris Lipſienſis.

TErtia ab exacto surgebat Paschate nuper
Festa dies, hinc me quando trahebat iter.
Tertia ab exacto Lux Paschate surgit, & anno,
In Lygiûm *redeo quâ sola saluus Eques.*
Fallor? an omen ineſt, illâ vt me fronte reuiſas,
Nuper adhærebas quâ mihi totus ouans?
Ergo fatigatum ambiguâ regione viarum
Frencelium pigeat ne, rogo, adire tuum.
Prandioli, GVNTHERE, mei conuiua futurus
Si noua non renuis diſcere multa, veni.
Scepſius *accumbet menſæ, &* Florſchizius *alter,*
Nomine, non facie, notus vterq; mihi.
Vtriq; es notus, gratusq; futurus vtriq;:
De me ne dubita; quantus es, hoſpes eris.

DAVIDI HELL. I. V. D. IN NVmerum Profeſſorum inclitæ Academiæ Ingolſtad. adſcito, Viro eleganti & doctiſſimo.

HELLE tibi grator, tua quòd Doctrina Cathedram
Iam meruit, dudum quâ bene dignus eras.
Macte ô ANGLIPOLI hoc Doctore, hoc macte IVVENTVS!
Plus ab eo fructus, plus tibi laudis erit.

IOAN-

IOANNI VIRLINGO, FRANCISCI optimi Patris Filio, VVratiſl. in IVLIA diſputanti.

PRofeceris quantum bonis in litteris;
Domi, & foris probare, nec ſine gloriâ,
Conatus eſt demum vtiliſſimus, ſuâ
Non caſſus vnquam ſpe, nitor fuco carens
Hic verus, eruditionis hæc nota
Non falſa. laude indignus ergo nec tuus,
VIRLINGE, conatus celebri in IVLIAE
Sacrario, Themidiſq; templo nobili.
Inſiſte cepto, quod Patrem exhilaret bonum,
Et Patriam; tibi ſuo quod tempore
Cum laude fructus adferat non flaccidos.
Crede, absq; magno nil labore acquiritur:
Vendit ſua omnia optimus Deus Bona
Sudoribus: vitæ huius hei ratio anxia eſt,
Fortunam & ad ſereniorem Arti grauis
Plerumq; doctæ aditus patet, ſi quis patet.
Tu nauiter, quod hoc probas conamine,
In commodum vigila tuum, in nomen, decus,
In ſpem Tuorum. nil parentibus bonis
Spe dulcius, ſuis quàm alunt de Liberis:
Hanc fallere, omnium nefas turpiſſimum:
Hanc vincere; omnium decus pulcerrimum.

PA-

PATRIA MARTINI LVTHERI Θεάνδρου.

TAntum diuino iactat se Ciue LVTHERO
ISLEBIVM, vt nulli cedat honore loco.

DOMVS NATALIS PHILIP. MELANTHONIS.

QVisnam arte, ingenio, & pietate, MELANTHONE maior?
Attamen huic cunas præbuit ista Domus.

EIVSDEM.

Cubiculum, & Lectus genitalis, Brettæ.

ET lectum, quo tu genitus, diuine Melanchthon,
Et lustrasse oculis dulce Cubile meis,
Hoc magis exsulto, quo tristius ingemo, voces
Audire è Cathedrâ non licuisse tuas.

SOTERIA PRO CHRISTO. PELARGO V. CL.

ERgo vera refers, credam vt tibi, fama, Pelargum,
Delicium Patriæ, conualuisse meum?

Res

Res salua est, saluus Vates! salua omnia, saluo
CHRISTOPHORO charitum Pieridumq; choro!
Namq; voluminibus plusquam infert aurea sacris
Lumina, corda gerens omnia plena Deo.
Nec satis hoc: recludit opes, quascunq; profundis
Omnigenûm thecis abdidit Ordo Sophûm.
In labris Romana sedet, sedet Attica Peitho:
Eloquium hinc miris temperat ille modis.
Nulla nisi Phœbo dictante Poëmata pangit,
Qualia vix TANTVM sæpe poëta canit:
Grandia, mollia, docta, operosa, arguta, serena,
Mulsea, salsa simul, tersa, rotunda, pia.
Quod nescit, nunquam hoc fuit: esto testis Apollo:
Et non Nestoreos viueret ille dies?
Viuat iò, vt sit, quem metuat fata horrida volens,
(Pœna hei secli huius vltima,) Barbaries.
Viuat iò, & morbi nil sentiat amplius: vt sit
Charior vsq; Orbi, carior vsq; Deo.

IN SVSANNAM, FRISCHLINI Comœdiam.

LAude pudicitiæ iam dudum inclaruit Orbi,
Carmine Frischlini clara SVSANNA magis.

LV-

LVDOVICO SCVVARZMEIER à Schvvarzenavv Consil. Cæs. Viro nob. & amplissimo, Magni mei FREIMONII Genero.

In Notas ipsius super Titulo Codicis,

DE IN IVS VOCANDO.

QVò tendis, LVDOVICE? rapit quò te ardua virtus?
Nonne tibi culmen iam superasse datum est!
Natura ingenium, doctrinam industria, munus
Fortuna excellens, cæsareumq; decus,
Illustrem Socerum, Sociam vitæ auream, amicos
Excelsos probitas, omnia summa Deus
Contulit ecce tibi! nunc non modò consilii vi
Augustale iuuas, & regis arte, forum:
Sed seclum hoc scriptis, famá imples nominis Orbem:
Quale operum hîc specimen non leue lector habet.
Quò tendas, video: nî perges, ipsa vocabit
In Ius *te virtus, quá duce carpis iter,*
Perge: tibi CAESAR, Corq; huius ROMPFIVS, omnis
Aula, ars, ingenium, sors, Deus ipse fauet.

ORDO

ORDO RERVM.

Ordo gerendarum certissima Regula rerum est:
Ordo vbi pulcer abest, serpit inane Chaos.

IN INSIGNIA
Magnifici Viri TOB. PAVRMEISTER, in Hardebehr & Zisling.

TE quòd honore potens decorauit Cæsar equestri,
Cristatus TOBIA testis Equus Clypeo.
Quis rogitet, faueat tibi num fortuna, vigorq;
Ingenii? vnde globus Cæsaris? vnderosa?

AD EVNDEM, S. CÆS. PALATII COMITEM factum.

DVrum equidem Virtutis iter, sed ad ardua planũ
Omnia, quæ laudum dulce merentur opus.
Orbita transuersum quem non rapit, ille sereno
Sole coruscantes tollit ad astra comas.
Felix, exemplo cuius res ista probatur,
Qualiter Exemplo Res patet ecce tuo!
Ipsus es ô TOBIA, DVCE qui VIRTVTE sereno
Sole coruscantes tollis ad astra comas.

Nonne

Nonne tua emicuit grauibus Prudentia rebus,
LEGATI quoties nomine clarus eras?
Assurge ad nomen, nec neglige plenius omen:
Sed, quam cepisti currere, curre viam.
Sunt superata tibi fastigia proxima summis:
Nouit id HENRICVS IVLIVS, Orbis Honos.
Hoc superata tibi Scala Auspice prima, PALATI
Hinc CAESAR COMITEM te iubet esse sui.
Vicit iter durum LABOR & CONSTANTIA: vincent,
Si quidquam superest, hæc duo, vincet HONOS.
Præmia virtutis stimulent te proxima summis;
Fiunt, quæ summis proxima, summa citò.

EIDEM DE EADEM DIGNITATE, & Equo Gentilitio.

ETne etiam voluit, Vir fortunate, Palati
Te CAESAR Comitem *maximus esse sui?*
Quid nî! maximus est: sed munificentia maior
Illo: dona Bonis nulla negare potest.
Si qua negat; negat indignis, ne prodigus ille
Audiat; ô Cæsar terq; quaterq; bonus!
Ergo tibi fueras precium mercesq; TOBIA
Solus, iam voto grandior ipse tuo.

Iam

Iam fama effusis latè exspaciatur habenis:
Prò te exornauit quàm benè CAESAR Equo!

IOAN. HILTEBRAND. IC. Serenissimi Daniæ Regis Consiliario, & Illustrissimi Principis OTHONIS, D. B. & L. Harburgi Cancellario, Viro amplissimo.

HOc est, mirabar quòd scilicet antè, serenam
Tam subitò pulsâ nube redire diem.
Nempe iterum nostros subiisti HILDBRANDE
Tali ô læta dies hospite, læta domus! (penates:
Nil ego iam miror: nam te comitatur vbiuis
Fixa serenato pectore amœna fides.
Sæpius, ô nostras tua sic præsentia nubes
Discutiat! nubes ô graue mentis onus!
Planiùs eloquar hæc? non eloquar: hoc loquar vnum:
Cœlo alio, atq; alio tempore, Phœbus eris.

CASPARI STOLSHAGIO, THEOlogo & Poëtæ Eximio.

SAcrorum Interpres, STOLSHAGI docte, Vien-
Huc bona Frencelium detulit aura tuum. (nâ

Aura bona hæc Amor est, quo te complector, & omnes
Quos virtus similes fecit amica tui.
Ergo adsis, dextræ dum fas est, iungere dextram:
Præsens absente est dulcior omnis Amor.

INGENIVM BENE HABITANS

ASSVERO LVTTER AB AME LVNXEN, Adolescenti nobilissimo.

INgenium, si non habitat bene, nobile nullum est:
Dona Dei quamuis maxima possideat.
In te quale habitet, LVTTERE, & quomodo; testes
Doctrinam & mores, quos tuearis, habes.
Insiste auspiciis. Si quid sub sole coruscum est,
Est, qui claret Auis, qui simul arte nitet.

IN VINETA ANDR. SARTORII IC. excellentis. Francofordiæ cis Viadrum.

FRancorum inuenit quæ à portu nomen amæno,
Mercurii sedem, delubrum insigne Mineruæ,
Vrbem antiquam, atq; vrbis opes, decora alta parens
Planiciem latè cultam, syluasq; sonantes, (tum
Fœcundos colles, dulci iuga consita Baccho,

E

Et grauidas valles, decliuia florida, campi
Aemulaq; Elysii prata, & viridaria læta,
Piscosi anfractus Viadri, pulcrosq; recessus,
Et quascunq; potest Genitrix vberrima rerum
Promere delicias vno Natura theatro,
Vis oculis vnà è specula lustrare, viator?
Hic age siste gradum, miti quà pergula cælo
Prominet, & tractu vicinis exhibet alto
Nobiliora iugis vineta, labore parauit
Ingenuo quæ nempe sibi SARTORIVS, almæ
Felix progenies Themidos, legumq; Sacerdos.

M. CASP. LVDOVICO, VIRO DOctrina, & virtute præcellenti.

FRencelium hác transire viæ mensura cõegit:
Sed ne negligeret te, vetus vrsit amor.
Ille igitur LVDOVICE tibi salueq; valeq;
Dicit, cui subitò continuanda via est.
Cras ascendet Equum primá cum luce: precari
Fausta viatori, muneris esto tui.

SAMVELEM REINHARDVM, Commilitonem meum veterem, hodie Illustris. MARCHIONVM BRAND. Consil. Virum sing. pietate & eruditione insignem, Lipsiæ ad Colloquium inuitabam.

TE sine si quidquam suaue est mihi; dulce ve
num est:
Sunt animo hæc, SAMVEL, congrua (cr
de) meo.
Dum licet, accelera gressum, comitantibus illis,
NAEVIVS hæredes quos pietatis habet.
Sit lateri adiunctus Sigemundus, *Imago Parent*
Quem decorat studiis, te Monitore, bonis.
Nil metue aduersum Masis, & moribus æquis:
Pocula rara mihi: vocula multa mihi.

IN PRACTICAM HIPPOCRA tis, interpretatione & commentariis IACOBI HORSTII, Collegæ, & Compatrioti mei, Illustriss. PP. Brunsuic. Medici, Viri doctissimi, illustratam.

SI nunc Hippocrates se Manibus efferat imis,
Atq; tuum hoc, HORSTI, nobile cernat opus
Sunt, fateor, sunt hæc mea, nec mea, dixerit vlro
Optima, quisnam ille est, qui meliora facit?
Quisquis hic est, multo me munere donat, & orna
Veste nouâ, genio, corpore, luce nouâ.
Quàm multos latuit, nostris latitare libellis
PRAXIN? at hanc quantis detegit ille notis!
Det

Detegit, obscurum quicquid meus ille GALENVS
Liquit, Apollinei gloria prima chori.
Quisquis hic est, longo sibi conquisiuit ab vsu,
Quantum vix capiunt pectora multa senum.
Quisquis hic, æternæ capiat qui præmia famæ,
Sed quoq; fortunæ præmia, dignus erit.
Phœbe ignosce pater: retine tibi in æthere sedem:
Iste mihi in terris φῶς ἀληξίκακος.

DE IIS, QVAE IN MORBO scripseram.

HAEc morbo meditata sæuiente,
Et non morbida sint, & impolita?

IOANNI HVTTENO FLANDRO, Viro elegantissimo.

IANE, fidem nuper quùm multos inter amicos
Quæssem, inueni deniq;: quæris vbi?
IANE, apud vnum te: quò rarior ergo fidelis
Est amor, hòc maior te comitatur honos.
IANE, tui capiet me fors obliuio vecors,
Cùm fastiditi ceperit illa mei.

ACADEMIAE IVLIAE CIVIBVS MEIS AVDITORIBVS, Post Bacchanalia.

SAt feriis, furiisq; conceſſum hactenus,
Minante pœnas Numine.
Ius nunc ſuum repetunt, ſuas nunc horulas
Muſæ repoſcunt ſobriæ.
Has audit ergo qui bonis de moribus,
Ad pulpitum referat pedem.
Turpe eſt egeſtatis parens laceræ otium:
Ditat Deo labor Auſpice.

VIRTVTE PARTA DVRANT.

Symb. Nob. V. CHRISTOPH. SARTORII, Palatinorum S. Cæſ. Maieſt. Adoleſcentum Ephori.

IMmenſas Mercator opes corradit auarus,
Horula quas aufert ſæpe, vel vna dies.
At Bona perpetuò durant virtute parata,
Muneraq; ingenii non moritura vigent.

Et vos

Et vos diuinis pudet impalleſcere Muſis,
Splendidiore ortu qui numeratis Auos?

RVFFORVM NATVRA.

Ad MATHIAM VNGARVM Med. Doct. Virum CL. optimum & doctiſſimum.

VIdi ego ſumma fides quibus eſſet, crine rubentes,
Et vidi, in quorum pectore nulla fides.
Quærenti cauſam Medicus reſpondit ERASTVS:
Natura hos inter neſcit habere modum.
VNGARE crine rubes! ſed quiſq; Vir optimus eſſet,
Natura efficeret ſi tibi quemq; parem.

AD THERMAS VLERSDORPIENSES, cùm eas M. KINNERVS ingrederetur.

THermarum latices ſalubriorum
Kinneri articulos inite tortos,
Atq; exſugite molliore tractu
Humorum illuuiem maligniorum,
Et diſſoluite nodulos Podagræ,
Et quicquid latitauerit ſub imis,
Toto in corpore, noxium medullis.

Exertis ita viribusq; vestris
Nobis reddite, quem dedisse vobis
Non vnquam pigeat. satis rogatum est:
Quod si præstitum erit; canemus, ô vos
Thermarum latices salubriorum!

IN ALBVM AMICORVM IOAN. REINHARDI EHRNREITER, in Hofreit, amplissimi, optimi & verè nobilis Viri.

I Liber, inq; vnum mihi collige corpus Amicos,
Multos quos vnos efficit vnus Amor.
Mens hæc vna mea est, cunctis prodesse, nocere
Nemini, Amicitiæ pignus id esto meæ.
Cui mens hæc, cui pignus idem est, huic inserat albi
Se bonus, & demto fine sit ille Meus.

AD PROGYMNASIAN IN HERODOTVM à DAVIDE CHYTRAEI Filio, CHRISTO. CAESARIS Filio nuncupatum.

HIstoriæ Princeps græca sub CAESARIS exit
Nomine, nunc titulo clarior Herodotus.
Exit, & huic seclo florente renascitur arte
CHYTRAEI, cuius claret in Orbe Pater.

Fal-

Fallor? an Herodoti sub nomine resloreſcunt
In sobole ingenium, fama, decusq; Patrum?
In Nato cuius iuueneſcit gloria, felix
O Genitor! mors huic nulla timenda venit.

PERVERSA RESPVBLICA.

PEccant, qui rectè faciunt, vbi crimina regnant
Adduntur q; Malis præmia, pœna Bonis.

CHRISTOPHORO A TETTELBACH, BORVSSO, Iuueni nobili, & erudito, de Feudis disputanti.

ET te nobilitas, vt sis in vtrumq; paratus,
Nempe vel arte decus generis, vel Marte tueri,
Vera animat? video mores, generosaq; mentis (edis
Semina, & hoc specimen Nympha applaudente quod
Astræa, instituens doctam sine sanguine pugnam
De variis (sit fas vti hoc mihi nomine) Feudis.
Christophore, vnde tibi hic ardor nouus? vnde cupido
Pugnandi? video, tibi qui calcaria subdat?
Quod te exemplum animet? cuius vestigia gressu
Non titubante legas? calcar tibi nobile, & ingens,
Exemplum, & Dux est Pater optimus. ergo quod or-
Es semel, hoc vrge. sic te Regina Dearum (sus,
Illa parens priscæ pia Nobilitatis, & huius

Gloria diua Soror, donabunt munere feudi,
Quod vis nulla, ætas quod nulla abolere valebit.

VERVS VSVS MVSICAE.

THOMAE MANCINO, CHORI in Aulá Illustriss. Brunsuicensium Ducis HEN. IVLII &c. Magistro, Musico excellenti & CL.

HErmogenis *cantu gaudebat IVLIVS olim*
CAESAR: & inde magis claruit Hermogenes.
Quam tibi tu famam, MANCINE, parabis, IVLVS
Quòd cantu HENRICVS gaudet ouatq; tuo?
Quam laudem inprimis capies, quæ dona? quòd Odis
Ipsa tuis mulces astra, DEO Q. places?
Impuri ite procul Cantores: Musica non est,
Sed strepitus, quæ non complacet Oda DEO.

PETR. CVLMANNO HOLSATO, Iuueni ingenioso, & erudito.

DE VERSIBVS, QVOS IN DIE SALOMONIS. ad me scripsit.

Remit-

R*Emitto Musis Gratius*
Iunctis nouem meas tuis.
Exosculor tuam fidem,
Mi IANE, & obseruantiam
Mei, meiq; nominis,
Quo gaudet hæc Diecula,
Expers sereni luminis.
Qualis dies, talis quies
Corpusculi nunc est mei:
Cuius perurit horrida
Febris iecur, languentibus
Membris, & haustis viribus.
Fatum tibi sit mitius
CVLMANNE festiuissime.

QVOVSQ. CEDENDVM.

Ad ZACHARIAM STARCK, Aulæ Electoralis Saxon. Aduocatum, IC. excellentiss.

HAlt Fried/ gib nach/ mit fug vnd list/
Wies nur menschlich vnd müglich ist/
Kans aber je nicht anders sein/
So wag es dann mit frewd hinein.

Liti

Liti cede, ſtude paci, vel iure vel aſtu:
Quacunq; id fieri conditione queat.
Quòd ſi fruſtra illud; tum contra audentior ito;
Fidenti & famam corde tuere tuam.

FINIS LIBRI SECVNDI
Miſcellaneorum.

NOBILISSIMO VIRO, GEORG. A DYHERN, in Oberherzogvvalde, & Deutſchkeiſſel, Equiti Sileſio, Patriæ & Familiæ ornamento.

SALO. FRENCELIVS
hunc annum ineuntem felicem
precor.

QVoties de afflictiſſimo vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ ſtatu cogito: toties non poſſum non recordari ſummarum difficultatum, & periculorum, quibus dulciſſima patria mea SILESIA hoc diuturno bello Pannoniæ conſtringitur, & deplorandum in modum exhauritur. Quantus verò ex hac cogitatione dolor conſequatur, & propè me confodiat, haud difficulter credet, quiſquis caram habet natalem ſuam Gentem, eamq; modis omnibus venera-

neratur. Est tamen vna res, quæ animum meum nonnihil erigit: quòd nimirum optimus maximus Deus multis muneribus præclaris, ac in his præstantissimis, & natis ad omnia præclara, Viris (liceat hoc mihi iactare, quod licet gratis omnibus) Silesiam nostram præ aliis mirificè exornauit. Nam, vt hoc loco, nobilissime Virorum, de tui solùm ordinis hominibus aliquid attingam, an non habet patria nostra Rhederos, Oppersdorpios, Rechenbergios, Bergios, Dhyræos, Nostizios, Zedlizios, Senizios, Gerstorffios, Braunios, Puschios, Rhedigeros? & quæ memoria tot suggerat lumina? quæ capiat papyrus! Qui omnes Patrum Auorumque splendorem non tantum propriâ Virtute, tam bellicâ, quàm togatâ; verùm etiam, (quòd summum est Equitis ornamentum, atque præsidium,) bonarum literarum Maiestate magis illustrant, ac longè latèque propagant. In his tu, DHYRAEE velut Iaspis eluces.

Rem ipsam dico: idque contestabuntur boni omnes, quicunque ingenium, omniaque studia, & actiones tuas perspectas exploratasque habent. Quare pergauisus sum, vbi

vbi ingredi tuam mihi Amicitiam contigit: quo nomine celeberrimo nostro MONAVIO tantum debere me profiteor: quantum Puella debet suo Paranympho, siue Auspici, Virum consequuta ex animi sententiâ. Hic verò quàm cupidè non duntaxat me amplexus es: sed etiam quot in ipso aditu beneficiis ornasti? Quam humanitatem tuam dilaudandi nullum quidem locum apud Amicos his annis prætermisi. At verò id neutiquam mihi sufficere poterit. Pietatis enim, & fidei laus ab obliuione hominum atque silentio vindicanda est: ac propterea publicum dandum illi testimonium. Itaque sæpe hactenus animum ad cogitandum instituì, qui hoc præstando gratus ac memor beneficii haberi possem. Sed nunc, vt elapso tempore, sufficiens & te digna me destituit occasio. Accidit namque mihi, quod viatori, qui pane nigro & sale, in casâ quapiam, famem compescere necesse habet, dum ad lautiorem hospitem perueniat. Hanc igitur occasionem potiùs arripiendam mihi interim existimaui; quàm protrahendum silentium: quod in omni Amicitiâ nescio

quid

quid habet periculi, aut saltem suspicionis. Vides autem, cuiusmodi sit occasio: nempe non nulla; quando hic produco paucos (neq; enim alios obliuione contriui, quorum egregia nomina in sequentes catalogos transcripsi) quorum in me extant merita, & quos ego sanctè colo. In horum te numero cum esse velim, non sanè obscurá spe, & exspectatione pendeo, primum hunc conatum meum non futurum tibi ingratum. Quæ spes ne me fallat, rogarem: nisi prohiberet tua in me eximia beneuolentia, quam vt perpetuò mihi conserues, omnibus viribus enitar. Filius Dei, cuius charitate nostra coaluit Amicitia, nos omnes in hac temporum hominumque atrocitate gubernet, protegat, & ad vitam illam vnicè beatam sempiternamq; conseruet. Amabò, salutem à me dic magnifico Ioachimo á Berg, Musarum Nutricio immortali. Tu quoq; salue, & æternùm mihi vale, generose Georgi Dhyræe, Amice multis nominibus colende. Ex Iul. Cal. Ian. An. vltimæ patientiæ M.D.XCIX.

SA-

SALOMON. FRENCELII MISCELLANEORVM

LIBER TERTIVS.

AQVILA CAESARIS.

MVlta Aquilæ laus est: sed gloria prima, quod Ales
Est Iouis, & pennis se vehit astra super.
Quàm bene Cæsareis hæc sese ostentat in armis!
Nam quò non penetrat Cæsaris astra iubar?

HENRICO IVLIO DVCI BRVNSVICENSIVM, Principi summo.

In Natalem.

EN quæ hodie afficiat cœli indulgentia terras!
Cuncta serenato stent vt amœna polo!
Hunc habuit CAESAR natalem IVLIVS olim,
Vnde etiam mensi nobile nomen inest.

M Tu ge-

Tu gemino gaudes, Dux & Lux vna Tuorum,
Gloria GVELPHIADVM, nomine, vtroque bono.
Vnum Mensis habet, toto exoptatior anno
Quo non Agricolis omnibus alter adest.
Vno, HENRICE, dies hæc ipsa superbit, opimum
Dum peragit Cereris Sol parientis opus.
Omen inest: Cælum ecce tibi fauet, & fauet ille,
Numine qui torquet, quicquid hic Orbis habet.
Hoc satis: Inuidiæ rumpantur vt ilia: duplex
Omen habet nomen: cur? quia multa monet.
Fatum ignosce mihi: tua non arcana retexam:
Quanquam etiam Vati non leue Numen inest.
Saltem aditus ego libo tuos: nec cætera tutum est:
Fit tandem, fieri quod Deus Ipse iubet.
„Acriùs Inuidiæ quò prurit stulta libido:
„Altiùs hòc Virtus surgit, opesq; parat.
Hac Duce carpe gradus, HENRICE, per ardua porrò,
Hanc & sæpe tibi cerne redire diem.
Sic, qualis præsens cœli indulgentia, talis
Post quoq; sit vitæ cursus, & aura tuæ.
Quid precor? ecce omnis pangit Connubia tecum
Natura! ecce tibi cuncta elementa fauent!

Illu-

Illustri & generoso Domino, Domino RICHARDO STREIN Consiliario Cæs. intimo, & serenissimi Archiducis MATHIAE &c. supremo Camerario, sapientissimo & doctissimo Baroni, Gemmæ procerum Augustalium.

STREINI, doctrinæ studium & Virtutis auitæ
Nominis æternum cui peperere decus,
Accipe Virtutis, doctrinæq; accipe pignus,
Europæq; diu Sydus in Orbe mica.

AMICORVM DELECTVS ET inconstantia.

AdIOACHIMVM GOZ, IC. Consiliarium Brunsuicensem præcipuum, Virum amplissimum, longáq; rerum experientiá præstantissimum.

HAEc Bona si mihi bina essent: non fictus Amicus,
Et corrasarum grandis aceruus opum:
Iamq; horum pars vna foret perdenda bonorum,
Quàm socium, mallem perdere promtus opes.
Namq; licet paucos ditet Rhamnusia, multò
Rarior ah verè FIDVS Amicus erit.

Nuper in occurſum quidam mihi fortè ruebat,
Ex Iro factus paupere diues opum.
Penè mihi ſeptem (ni fallor) viſus ab annis,
Toruus Agaſo olim, nunc generoſus Eques.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo!
Naturam, mores induit ille nouos.
Ecce ſalutanti tumidus reſponſa negabat:
Hic nempe hoc rerum turbine finis opum eſt!
Laudo igitur, Plutum paucorum habitare Penates
Ipſe ego cum ſcripſi hæc, vix opulentus eram.
Goziadum *IOACHIME Iubar, Flos GVELPHIDO*
Nil, quod de tenui ſorte queraris, habes. (Aul
At mihi tu multò felicior eſſe videris,
Quòd tibi Theſeo iunctus amore Vir eſt:
Vir IAGEMAN: pariter Te fortunatus Achat
Pectore cuius ines, pectore cuius ineſt.
Certus in incertâ Re quiſq; probatur Amicus:
Hoc nil rarius & carius Orbis habet.

IACOBVM OETHAEVM MEDI cum Eiſtadienſem, Virum optimum, & doctiſſimum ad Cœnam inuitabam.

AEger adeſt: propere nobis te ſiſte IACOBE,
Namq; tuum cupido pectore poſcit opem.
Pha

Pharmaca non procul hinc abſunt; ſcis, qualia? græca:
Quid mora per Medicum nectitur? æger adeſt.

IN PROCERAM PVSILLI MAriti vxorem.

FOemina cum totâ te ſit procerior Vrbe,
Magnanimoq; Viri pectore nulla prior,
Cur quæſo ANDRILLAM vulgus te futile dicit?
Num parui labes ſit minor inde viri?

BALINGA, PATRIA NICODEMI FRISCHLINI, Oratoris, Poetæ & Philoſophi clariſſimi.

PAtria FRISCHLINI viſa eſt mihi: Patria viſu
Digna ſerenati commoditate ſoli.
Parua BALINGA quidem, ſed fertilis vbere glebæ,
Ditatiſq; ſatis Ciuibus apta ſuis.
Excelsâ turri ſtat conſpicienda, feraris
Quoquo oculis, tempe delitioſa vides:
Vitiferos colles, grauidos & floribus hortos,
Pratag; piſcosâ quæ ſecat amnis aquâ.
E parua faciunt hæc magnã nonne BALINGAM?
Maiorem at præſtans laude Poëta facit.

Hæc seu grata viro, seu non sit grata; manebit
Illa tamen vatis nomine clara sui.

IN INSIGNIA THIRTSCHKIO-rum fortissimæ & clarissimæ Gentis in Boëmiá.

SImplicitas veterum Decus est, vexillaq; Martis:
Si nescis, quæ Gens Tirtschkia, Signa vide.

IN NOMEN ET SYMBOLVM IOAN. IAGEMAN in Hardegsen & Göttingen IC. &c.

PVlcrum est venari, venari est vtile laudem:
Sic via virtuti est inuia nulla tuæ.
Perge: tibi plana est via, plana est semita laudum:
O tibi sit planum, IANE, salutis iter!

IOAN. BODEMEYER.

Ate testem animi veteris Frencelius vnam
Exspectat: scin quam? littera testis erit.

IN THERAPEVTICAM D. IOAN. VVERNERI I.V.CL.

VOs Medici, quibus est hoc præter grande domi nil
Nomen; Opinio quos non sinit esse rudes:
Ne tot vestra tegat tellus errata, Charontis
Ne toties vestro cymba onerata grege
Letheis mergatur aquis, Libitina Vacunæ.
Ne toties cultus deneget atra suos:
Tandem illam rectam rationem, artemq; medendi
Discite, quam veterum tot monumenta docent.
Ecce viam vobis VVERNERVS monstrat, Apollo
Cui medicandi artem tradidit ipse suam.
Huius aperta Viri vestigia (nam sine doctâ
Non Methodo graditur) ne dubitate sequi.
Nec graditur, ducibus nisi præcedentibus illis,
Non nisi quos paucis præficit ipse DEVS.
Scilicet ingenio quantam solertia acuto
Doctrinam indiderit, testis hic ipse liber.
Si qua superstes, idem gratante fatebitur ore
Posteritas, fructus carpet, & inde suos.
Inscribet sacrum VVerneri Aramantide cerâ
Nomen, Apollinei ceu diadema chori.
Fundamenta iuuat tantum iecisse per artem,
ORDINEq; inceptam continuasse viam!

M. IOANNI HVLDENREICH, Viro ornatissimo.

QVid de te dubitem, si sunt modò congrua rebus
Nomina? cur non sis dignus amore meo?
Dives inest menti: sermoni gratia dives:
Dives inest oculis gratia, IANE, tuis.
Moribus ex ipsis elucet gratia dives:
O dignas tali nomine divitias!

IACOBO IVNGIO PEREgrmaturo.

OMnis vt in florem sese nunc induit Arbos,
Floret ita ætatis ver, Iacobe, *tuæ.*
Accedat cultura, tenax & temporis vsus,
Quæ duo si flectat, quòd modò carpis, iter;
Omine felici te prosequor: ito fauente
Numine: vis fructus? vtere vere tuo.

INSTITVTIO CIVILIS.

SEnsibus hæc, moneo, præcepta repone profundis,
Cuicunq; audire, & viuere cura bene est.
Nosse, timere, & amare Deum, primum estò: secundum
Nauiter officii munus obire tui.
Magna caue consles alieni debita census,
Proq; aliis noli sæpe locare fidem.
Si tibi tutela est, fac Calculus ordine constet,
Et fugè nodosi, dum licet, acta fori.
In iugane nimios expende metallica sumtus;
Et, tua cui credas, dispice; crede Bonis.
Nec chymicis nimium scitis confidere, tutum est:
Perdidit hæc multos cæca vorago spei.
Ne studia ad quæstum sectare nocentia Ludi;
Gratia te capiat nulla fauentis heri.
Præcipuè fastum fuge Dæmone peius, & Orco:
Hunc Deus hunc prorsus non tolerare potest.
Deniq; sis propriis Pater ædibus, æquus & hospes:
Cæteraq; arbitrio subÿce cuncta Dei.
His docilem si te pietas effecerit vna;
Sors bona, crede, tuas amplificabit opes.
Vsurpare viri poteris tum nomen honesti,
Iudiciumq; hominum ferre, simulq; Dei.

PAVPERTAS.

PAupertas longâ fit consuetudine dulcis,
Esse miser qui scit fortiter, ille sapit.

IN COLVMBAS, POEMATA FRIDERICI TAVBMANNI, inclitæ Academiæ VVitebergensis Professoris, Poëtæ elegantissimi.

A Patre nomen habet Soboles: non ergo COLVMBAS
Mirum est aureolos dicier hosce libros.
Hoc mirum est, istis Epulas tot inesse Columbis,
Quæ vatum exhibuit Mensa nitens veterum.

IN DIE IOANNIS BAP.

IOAN. FROBENIO, Meo amicissimo.

De nomine.

IAne, coronatus tibi mitto Poëta coronam,
Virtutis signum, lætitiæq; notam.
Iane, rogas caussam? iam dudum nempe corona
Debetur Musis, culte Poëta, tuis.
Iane, meâ tandem redimitus tempora lauru
Ingenit volites laude per ora virûm.
Iane, tuum ingemino toties cur carmine nomen?
Quod nomen recolit Lux hodierna tuum.
Ergo vides caussam, cur mittam IANE, coronam?
Nempe hanc lætitiæ materiem esse volo.
Ianè, tibi hanc igitur solidam velit esse Iehova,
Vt solidè nullo fine corolla nitet.
Iane, tuæ vireat necis expers gloria famæ,
Vt viret æternis Laurus amæna comis.

Iane,

Iane, Dei aspiret fato tibi gratia molli,
Spondet vt hanc ratio nominis æqua tui.
Iane, ita te voto, & versu, & radiante corollâ
Prosequor; idq; mei pignus amoris habe.

IACOBO HANEL, MVSICO CL. & suauissimo, Meo familiari.

QValia tu nectis vocum discrimina GALLE,
Tale suaue facit vix Philomela melos.
At cur nomen habes, lepidissime Musice, Galli?
In cantus vigilas nocte dieq; sacros.

CAROLO LOFF, MVSICO GRONINGENSI.

CAROLE cara tibi est dulcissime Musica dulcis;
Carole dulcè sonas, Carole dulcè bibis.

IN SOLEM ET CERVVM, Insignia Doct. IACOBI HORSTII, V. CL.

QVòd citò Parnasi superasset culmina, dictus
HORSTIVS est generis SOL habitusq; sui.

Quàm

Quàm bene signa gerit SOLIS CERVI Q., parata
Ingenio celeri, cum sit vterq; celer!

MICHA. NEOSTEPHANO Rostochiensi, hodie Magistro creato.

ILle mihi Pæon nunquam dicetur, ad artes
Illotis medicas qui properat manibus.
Hoc est, mandarit qui multâ indagine menti
Scita profundorum non prius alta Sophûm.
Te non è vulgo Medicorum & fece futurum,
Philosophi ostendunt puncta hodierna chori.
O pulcrè impletum iucundi Nominis omen,
Serta tuum cingunt quando nouella caput!

FRAN. VIRLINGO Viro optimo, & doctissimo.

VIuis adhuc, VIRLINGE miser, nec tela, nec (ignes
Te pridem infami prostituere neci?
Cuius? vah rogitas? in te qui sæua tot annos
Ex desolatâ fulmina valle iacit.
Nempe quòd impauidè promulgas iussa Tonantis,
Et compendioli, qua potes arte, doces.
Audin, vt è cathedrâ plenâ te voce refutet,
Vt tonet audaci turgidus ore Crabro?
Vocula nulla tua est, quam non, Virlinge, profanam
Asserat è sancto Codice sanctus homo.

TO-

Et tu viuis adhuc? Monstri quia fulmina forsan
Non id, quod Superûm fulmina, robur habent.

TOBIAE COBERO Medic. Doctor. Vir. doctiss. Poetæ præstanti.

ANnuit oranti, nunc & meditatur honore
Natio dignum aliquid nostra COBERE tuo.
Cætera, quæ poscis me, forsitan impetrabis,
Ocia si qua mihi indulserit Autor opis.

AD AMICVM, Amici scriptum nomine.

VIllula, congessit quam fato functus Arator,
Non procul hinc virides prominet inter agros.
Incolet hanc vxor cum prole sequentibus annis,
Et victum ex culto mî cumulabit agro.
Sed quia torpet ager, nec turgent horrea, mugit
Nulla vbi vacca, boat bos, nec & hinnit Equus:
Seu largitus Equam fueris, seu denig; vaccam,
Spes erit (an rides?) Illa vel Illa Gregis.
Tum tibi si vel desit Equus, vel copia lactis,
Vel dabo lac niueum, vel tibi rursus Equum.
Nunquid erit fœnus paruum ex hoc munere, si sic
Creuerit auspiciis villa pusilla tuis?

AD

AD EVNDEM.

AEquum munus Equi pro munere reddo: quod? (opto,
Mille tibi ex vno progenerentur equi.

CASPAR. ARNOLDO MEDICO Collegæ meo, Viro CL. & doctissimo.

CASPAR, cui potioris artis vni
Tantum, cui venerum, cui leporum,
Cui tantumq; ioci, salisq; tantum est,
Quantum pluribus esse vix videmus:
Oro, nî tibi fortè res molesta est,
Albo nomen huic Amiculorum,
Quos mî conciliauit vna virtus,
ARNOLDI insere: quando te fuisse
Futurumq; mihi deinde Amicum,
Inuitus minimè, immerensue spero:
Inuitus minimè immerensue dico:
Quippe qui tacito, sed expedito,
Iam pridem colo te colamq; amore,
Arctoi nec enim orbis hunc pruinæ
Extinguent (mihi crede CASPAR) vnquam.
Nam quî dignus amore non perenni
Foret, cui potioris artis vni

Tan-

Tantum, cui venerum, cui Leporum,
Cui tantumq; ioci, salisq; tantum est,
Quantum pluribus esse vix videmus?

PETRO CAPELLAE AB ELBINga, Viro nob. Poëtæ graui, Amico meo.

ERgone te nostris, Frater, complexibus aufers,
Quo cum dulce mihi viuere, dulce mori?
Hunc ego per Superos sincerum testor amorem,
Omnibus & studiis, PETRE, probabo meis.
Vade: sed inuito vox excidit ista: redito
Saluus, vt alloquio perfruar vsq; tuo.
Ecce perenne tibi reduci dabo pignus honoris,
Aureolo digitus quod tuus orbe gerat.
Tu par redde pari: sit par in amore voluntas:
Tu meus es, dicis: dico ego: tu meus es.

IOANNI GEISLER, Viro Consulari, Amico meo.

De phlebotomiá.

QVòd longos hodie Sol discutit aureus imbres,
Dum minuis flumen sanguinis, omen inest.

Aëra

Aëra sol purgat: fuscum sic vena liquorem:
Aethere purgato pulcrior aura redit.
Sic omnis purum stillet tibi vena liquorem,
Castalii pars non vltima IANE chori.
Sic pituita abeat membris, & quicquid acerbum est:
Sit statio vitæ tota serena tuæ.

IN HYPOMNEMATA LOGICA CARO. BVMANNI, V. Cl.

O quàm geris nomen decens, quàm proprium
BAVMANNE! diuini quis eruditior
Paullò Platonis nescit acrimoniam,
Sapientiæ & veræ recessus intimos,
Mentisq; flumen celsioris lacteum?
Thecis Stagiritæ reclusa quis negat
Pigmenta natiui decoris aurea,
Cordata queis sinapis, & sal candidum
Inest? duos hos tu Iuuentæ Principes
Tradis capaci, & explicas tersissimis,
Hypomnemasin, quæ luce nunc gaudent nouâ.
Quorsum? an tenella inebriari ipsissimis
Vis corda fontibus? domus firmissima
Pulcerrimæ locare vis fundamina?

Opus

Opus tuum hoc, labor hic, tua hæc sententia:
O quàm geris nomen decens, quàm proprium!

VVENCES. ECCERO

S. Cæs. Maiestat. per Silesiam superiorem Vectigalium Præfecto, Viro amplissimo, & ad omnia præclara nato.

EN adsum, totumq; tibi me defero, totâ
Qui te mente, ô mi VVenceslae, colo.
Tempus erit, quo nos disiungent fata, fruamur
Alloquiis, dubiâ dum vice fata sinunt.
O cœlestis Amicitiæ typus, ô typus ingens,
Inter Amicorum corda manusq; geri!

SIMEONI CAMERITAE

Ciui Pragensi, Viro spectatissimo, de dignitate Senatoriâ.

OMnia debentur patriæ, quia patriâ confert
Omnia. prima poli est cura, secunda soli.
Est igitur felix, patriæ qui consecrat æuum,
Quàm modò non aliò fata Deusq; trahunt.
Nam datur haud cuiuis patrios habitare penates:
Patria nec forti cuilibet vna datur.

Ergo, profido mihi quo tu iunctus amore es,
Hoc de præclustri grator honore tibi.
Patria te gaudet quia Consule, consule rectè
Tu patriæ, exemplo, mi Camerita, Patris.
Hunc tu perge sequi, quem patria suspicit omnis:
Quosq; geris, fasces esse memento Dei.
Sic patriæ fauor, & Patris te gloria tollet,
Sic inclarescet nomen in vrbe tuum.
Quisq; suas obeat partes, & munia: non est,
Quàm patris & Patriæ, sanctior vllus amor.

CHRISTOPHORO A DHYRN, Iuueni nobilissimo.

VT disputantem DHYRIVM præ cæteris
Tam doctè, acutè, enucleatè, & integrè
De præstitis conditionibus Themis
Audiuit alma nuper, illi, & insuper
Genti vetustæ Dhyriorum gaudio, &
Spe liberali plena, voce maximâ
Mortem, & simul perennitatem Nominis
Condixit, applaudentibus plenè omnibus
Vtráq; significatione voculæ.

Generoso & magnifico Domino BOHVSLAO STOS, BARONI A KAVNIZ &c.

Virgi-

VIrginibus Natura parens insevit amorem
In pueros: pueris mutuus ardor inest.
Duplex fax, forma, & virtus: incendia vtrinq;
Suscitat, at castis non nisi pectoribus.
Te DEA, BOHVSLAE (quid excellentius?) ardet,
Atq; ea, quæ reliquas vincit honore deas.
Suppeditat flammas heroæ gratia frontis.
Quæ virtute nihil exule laudis habet.
Spes igitur magnæ virtutis firmat amorem:
Blanda habet hac laudes Præside forma suas.
Sed DEA quæ? Pallas, cuius tentoria amator
Quisquis adit, multis dotibus auctus abit,
Iamq; tui est studii, ne spes hæc fallat amantem:
Nec fallet, si tu Palladа rursus amas.
Id facis, idq; vltra fac. si perrexeris, audi:
Quàm spes vlla potest surgere, maior eris.

IN EFFIGIEM MEAM.

HAnc faciem natura mihi formauit: honores
Quos gero, dante Deo, & Cæsare dante gero.

ILLVSTRI DN. DN. CHRIST. A SCHLEINIZ, L. BARONI, S. Cæs. Maiest. Consiliario.

IN PVRMEISTERVM quæ mens tua, & illius in te,
Non ego iam multis commemorabo modis.
SCHLEINIZI, Imperio carum ô caput, edite cœlo,
O dilecte Bonis omnibus, atq; Deo.
In frontiſpicio fulgens ſplendore Libellus
Nominis ecce tui perpete teſtis erit.
Carpe, euolue, proba: nec enim te fortè pigebit;
Nam PVRMEISTERI prædicat acta tui.
Prædicat ingenium, doctrinam, munia, honores,
Et pia quæ virtus præmia cunq; capit.
Immenſum laus calcar habet virtute profecta:
Quæ venit ex merito, non reticenda venit.

In effigiem DOM. TOBIAE PAVRMEISTERI.

MIrarer Spectator ego celſa ora tabellæ,
Heroicas & lineas.
Peniculo artifici niſi pictor in ære minuto
Animaſſet illum ipſum virum
Sic propriè, vt ſaltem cui copia facta videndi
Illum fuit ſemel virum.
Protenus in vocem hanc erumpat mirabundus:
Vir ſuauis hac, vir & grauis

In tabulâ ſpirat, Patriæ Gentiſq; voluptas,
Palatii Comes ſacri,
Heroum tutor, diuini os Principis. at quis
Et talis, & tantus virûm?
Purmeiſterus, *amor Superûm, & ſtes vna Suorum,*
Virtute nobilis ſuâ.

GEORG. BVRCHARDO A LIPP. Illuſtriſs. Duci Brunſuicenſium &c. à Conſil. & Secretis.

SIue tibi à Labio, ſiue eſt ab amore GEORGI
Nomen, honoratum cælitus omen ineſt.
Principis es labium diuini, Principis Os es:
Principis hinc meritò te comitatur amor.
O amor iſte diu labio inſit, & inſit amanti!
Quid ni? magna capit præmia magna fides.

IOACHIMO DELIO, Viro excellentis ingenii, & doctrinæ.

LEcta tua eſt nobis numeroſa Elegia, relecta eſt:
Principe digna tuo, digna tuo ingenio.
Hæc placuit, libaret opus quòd nobile laudum,
Proq; boni faceret vota ſalute Ducis.

Displicuitq; eadem, tua quòd quereretur acerbá
Morbi membra grauis languida mole premi.
Dî faciant, sint vota Duci rata pluribus annis,
Et capiat finem mœsta querela suum.
Sic tibi sit, sano sub Principe, corpore sano
Mens sana. ô quantum est, hæc duo si quis habet?

FRIDERICO CLOSIO, V. I. Doctori Creato.

ELysiis vnquam ne SLESIA cederet aruis,
Protulit insignes semper ab arte viros.
CLOSIVS hos inter meruit nomenq; decusq;,
Hîc vbi promit opes IVLIAS alma suas.
Tantum doctrinæ morum sociata venustas
Et labor & pietas, & pia vota valent!

IN CORNVTVM.

IMposuisse tibi tria Cornua dicitur Vxor:
Cornua si gestas, dic mihi, qualis eris?

FRIDERICO STIFELIO Erfurdiensi, de Legatis disputanti.

SI tibi sic omnes legum penetrare recessus
Mens fuerit, sicut studiosa mente laboras
Hos de LEGATIS, Friderice, resoluere nodos;
Credibile est, scripturam olim LEGATA labore
Digna tuo Astræam: quod vt impleat exitus omen,
Nostrum optare; tuum est, virtute atq; arte mereri:
Ars, quod LEGET, habet: virtus LEGATA secundat.

IOAN. CASELIO, Philosopho clarissimo, de Iuuentute Scholasticâ vltra annos quadraginta optimè meritò.

NUnquam te vidi, te vidi sæpe, CASELI:
Vsus amicitiæ nullus, & vnus erat.
Amplius haud illud dicam: ast hoc sæpe, Caseli:
Docta salutabit si tua Musa meam.

Argent. scrib. An. 1584.

DE IOAN. CRATONE TRISARchiatro Cæsareo, Viro magno.

QVi summâ cum laude trium fuit ipse Machaon
Induperatorum, an esse CRATONA negē?

IACOBO HORSTIO V. CL.

De Reditu Filii HENRICI ADOLPHI ex Italiâ.

HEnricum retulisse tuum, ceu fertur, Adolphum
Cultius è Patauî nobiliore schola
Pectus & ingenium, pleno tibi gratulor ore, (Patet.
Tot Librorum, Horsti, & Liberûm amœne
Viuat, & arte Patrem referat, quod Apollo merenti
Purpureâ impositâ mox probet ipse mitrâ,
Et tu viue, videq; Horsti, quid Apollo parârit?
O quantum est, Patrem Prolis honore frui!

ELIAE BONVINIO VVratislauiensi, Adolescenti erudito.

QValem vitigeni Mortalibus esse liquoris
Reclusum à superis laticem, experientia testis
Indubitata docet, cunctos vt roboret artus,
Ingenium firmet, gratoq; aspiret odore
Spiramenta animæ, cor luctu soluat ab omni,
Discutiatq; animi nubes, & gaudia fundat,
Languentem recreet stomachum, & subtile palatum
Exurlet minimè, Musis bona carmina dictet,

Omniaq; ancipiti paret vnus commoda vitæ:
Tale Bonum *tu sis, BONVINI candide,* Vinum,
Vnde voluptatem, gustum, fructumq;, & odorem
Cum Patre percipiat, cum totâ & Patria Gente.
Fallor? an auspiciis iam iam spem dulcibus haustam
Erigis, è cathedrâ dum non inglorius edis
Doctrinæ specimen crescentis, in arte medendi?
Macte! Rei sic conueniet peramabile nomen.

IVLIA ACADEMIA AD ARGENTORATENSEM, de aduentu HENRICI & MELCHIORIS à SENITZ in Rudelsdorff, lectissimorum Iuuenum: hodie vtriusque Illustriss. Ducis Brig. & Lignic. Consiliarii.

ARgentina *Soror, nostræ Lux aurea Gentis,*
En tibi par fratrum nobile, suaue, pium!
Quos complexa fui Iuuenes ego IVLIA, eosdem
Commendo Fidei, dulcis Amica, tuæ.
Tris in amore Mei posuêre fideliter annos:
His ego, quæ potui, munera cuncta dedi.
Arripuêre auidis animis: hinc fertile doctis
Artibus ad te iam pectus vterq; feret.

Excipe germanos virtute & sanguine fratres,
Fraterno cultos semper amore mihi.
Sunt illis Comites Doctrina, Modestia, Candor:
His dotes socias adde benigna tuas.
Finibus à patriis abeunt nam longius, olim
Nempe domum vt referant pectora culta magis:
Vt patriam exornent, florentem laude parentem
Exhilarent, generis sustineantq; decus.
Hanc firmet mentem tua Lux Ketnhemius *illis,*
Iunius, Obrechtus, *totus & Ordo Patrum.*
FRENCELIO, veteri qui te veneratur amore,
Hæc dictante, Soror, *mando diserta tibi.*
Sint plures nobis iuuenes, quales tibi trado:
Mundior & tempus post breue Mundus erit.

PREBIONI A PODEBVSCH Equiti Dano, Iuueni elegantissimo, Misso quodam Carmine.

ACcipe molliculos, Prebio *lepidissime, versus,*
Me sociosq; inter post numerato tuos.
Quàm magni interfit, casus auertere votis,
Res probat, in peius dum modò cuncta ruunt.
Pauca leges, quæ multa tamẽ meditanda relinquunt:
Tu, quæcunq; hæc sunt, consule pauca boni.

Et

Es mihi præstanti laudatus ab indole; perge,
Perge boni Patris spem superare, vale.

GEORGIO RIEDEERERO AVGVSTANO, de gradu Magisterii.

VRbs Augusta *tibi Patria est augusta, Georgi:*
Augustum tanti nominis omen erit.
Nec fallor: iam quando spei respondet apertè
Exitus: augusto nomine digna facis.
Artibus ingenium decoras: decoratq; vicissim
Illud te: tantum fœdus ab arte venit.
Ordinis ecce creat mea te Tubinga *Magistrum*
Palladii: augusti nominis omen id est.
O geniale omen! Tu primus in ordine longo es:
An non augusto nomine digna facis?

GEORGIO TRADELIO, IC. præstantissimo, Illustris Reipub. AVGVSTANAE Syndico, Viro nob. & amplissimo, de me egregiè merito.

SOlue Deo grates, porrecta fronte, Georgi:
Nomine namq; hæc lux indigitata tuo est.

Hanc

Hanc vt sæpe diem videas, tandemq; perennem,
Ad quam vita via est crimine pura, precor.

CHRISTOPHORO A DHYERN, Equiti Sil. præclaræ spei Iueni.

XENIVM.

ECce iterum incolumes vnum transiuimus Annũ:
Iamq; iterum ingreditur nota per astra nouum.
Hunc pro germano, quo te complector, amore,
Ire tibi faustum comprecor, ire tuis.
Cresce animi donis hoc, cresce sequentibus annis,
Christophore, *inprimis cognitione Dei.*
Vt per te crescat laudatæ gloria Gentis,
Floreat vtq; ROSIS nobilis ordo tuis.
Sentiat vt spes se superatam læta parentum,
Quos rabie a Scythicá protegat Ala Dei.
Dum loquor; ecce aurem mihi vellit Apollo: quid optas
Plura? Bonis bona non fata negamus, ait.
Abrumpam votum, & quia Climactericus annus
Incidit huic, vnum hoc addo, sit ille bonus.

DE IOAN. HERMANNO, MEDICO & Viro optimo.

Hermannum *quondam pressêre nigerrima fata;*
Sed nunc Hermannum *candida fata leuant.*

IN ENSEM VINDICEM REbellionis.

ILle ego sum, plebem qui seditione furentem,
Rege Sigismundo, *sternere iussus eram.*
Accepit dono me Gens Mornbergia *primùm,*
Haunoldo *illius Præside dante fori.*
Inde nouus, bonus ô Princeps, præsulq; Budorgis
Munus, & Astræa nobile pignus habet.
Me manus artificis rursum hoc splendore poliuit:
An frustra? officium si modò quisq; facit.

Generoso & magnifico VVEN. SCHELIHA &c. Cancellario Ducatuum Oppol. & Ratiborienſis, Patrono.

FEcerunt quot Equi propero vestigia gressu,
Tot soluo grates, care Patrone, tibi.
Exige viuendo tot tu feliciter annos,
Vt præsis Patriæ longiùs, vtq; Tuis.

D. IOANNI IAGEMAN &c. Patrono.

Eximie

EXimie exiguæ cape quæso munera Musæ,
Hancq; patrocinio perge fouere tuo.
Sis memor illius, dum fas est Principis vti
Numine, dum fas est te, Iagemanne, *frui.*
Tempus abit. fructus perit ad Natalia Christi,
Ni præsens firmet spemq; fidemq; fauor.
Quò digitum intendam, nosti: tu spemq; fidemq;
Vince meam: sic te gratia summa manet.
Spesq; fidesq; mihi certa est: scis vnde, Patrone?
Inuia virtuti nam via nulla, vale.

AMICO MEO G. R.

Cum aduersá valetúdine, & Amico perfido conflictanti.

ERgone te lecto duri inclementia morbi
Alligat & nobis inuidet? ergo iaces?
Ergone lætitiá furit hostis subdolus inde,
Sicq; putat caussá se modò stare suá.
O fatum! ô fatuum! fato inclementia morbi
Concidet: at fatuus fraudibus ipse suis.
Immò iaces minimè: IOVA auxiliante resurges,
Et fatuum fati tu superabis ope.
Lætitiá hinc pectus recreabis mite: sed hostis
Pallebit: *mutat sors ita sæpe vices.*

Ne

Ne dubita: Deus in morbo conferre salutem,
Quid? vitam in mediá reddere morte potest.

IOCVS AENIGMATICVS

Ad quosdam conuiuantes.

TRes sunt qui cudunt, qui ludunt, qui tria trudũt:
Torquati, *qui tres? quæ tria? fare mihi.*
Consule, si nescis, tres de tribus: arrige & aures:
Dulce tibi hospitium! dulce sodalitium!
Abstrahor inuitus: longi, nimiùmq; pusilli
Cudite, ludite, & hoc trudite: dicite quid?

In Natalem IOANNIS A DHYRN, in Kelbichen, Adolescentis nobilis, & egregiæ exspectationis.

HAEc Dyhræe, *tibi est Natalis, vt asserit ipse,*
Nec malè, nec tacitè pratereunda dies.
Ecce serenatis vt tota reluceat auris,
Primitiasq; noui veris amœna ferat!
Hinc iucundum omen, documentũ hinc vtile capta:
Illud fortunæ, hoc sed rationis erit.

Fata

Fata tibi sortem spondent non læua serenam,
Qua vitá fructus floridiore ferat.
Tantùm Vere, & sorte tuá rectè vtere IANE:
Sic tibi Messis erit, sic tibi fructus erit.
Sic tibi tota precor sit vita serena, Tuisq;,
Qualis & hæc ipsa est tota serena dies.

TYRONI ARTIS POETICAE.

NOn multa, at apta collige:
Collecta recto imitamine
Traduc ad vsum sobriè:
Dispone cuncta congrue:
Dispostа solers expoli.
Quemcunq; feruor incitat,
Fauente Carmen Pallade
Seclis sacrare posteris.

FINIS LIBRI TERTII
Miscellaneorum.

MA-

MAGNIFICO NOBILISSIMOQ. VIRO, IOANNI MVLNERO, A MVLHAVsen, Sac. Cæs. Maiest. à Consiliis, & Secretis incliti regni Boëmiæ, Amico veteri, colendoq;.

SALO. FRENCELIVS S. P. D.

NOli, Vir amplissime, mirari: quòd te appello in hac lectissimorum Virorum Coronâ. Vides, quid mihi sumserim in his libellis. Cùm enim parum sint tersi, ornatique, ac penè nudi; nec tamen hoc supercilioso & delicato seculo in lucem, siue in manus Amicorum venire vereantur, primùm illis aliquid ornatus, autoritatis, atq; præsidii acquirendum existimo aliunde: nec id præter rem, vt opinor, nec

tot seculorum consuetudinem. Deinde non nisi eorum hominibus superbio, qui me iam pridem fide, beneuolentiá, & officiis sibi valdè obstrinxerunt. Iam quanto mihi honori, quantoq; ornamento esse poteris MVLNERE, in hac Musarum mearum dispaciantium Sylua: quando in eaes constitutus dignitate, vt operam tuam MONARCHAE probes, ab eaq; tam florens Regnum, Patria tua BOEMIA, & huic, tanquam Corpori, inclusæ Prouinciæ vberrimæ pendeant: & quando tu cumprimis propriá virtute, & doctrinâ, non illâ vmbratili, quali magnâ ex parte Aulici nostri hodie tingi consueuerunt; sed exquisitâ, atq; reconditâ (quâ solâ emersisti) tantùm tibi splendorem comparasti, vt abeo optimo cuiq; facile aliquid lucis accedere possit. Amauisti verò me à primo intuitu & congressu, nec amauisti vulgariter: sed delicatè, familiariterq;: etiam beneficio ornasti non vno: ita vt non vno nomine tibi me vehementer obligatum esse sentiam. Proinde operæ precium iudicaui, huic libello nomen tuum præfigere, atq; hoc modo, hoc tempore, hocque loco tui mentionem honestam mihi vsurpare, vt videres, te animo meo nequaquam effluxisse.

xisse. Nec parum me ad hanc rem impellit necessitudo illa, quæ tibi cum Ciuibus meis iam pridem intercedit, & in dies mirificè crescit. Colunt enim te omnes, qui norunt: & qui sunt, qui non norunt? impensè verò amant Optimates: cum quibus beneuolentia & studiis certare, ac (vt vno verbo dicam) de vniuersa SILESIA, Patria meâ dulcissimâ eximiè mereri tibi tam est volupe, quàm facile, si cuiquam est alii. In spem igitur venio optimam, te has meas rationes in bonam partem accepturum, & quicquid est munusculi istius æqui bonique facturum: certoque persuasum habiturum: id ab animo sincerè profectum esse memori, integro, tuiq; obseruantissimo. Quem ego profectò priùs non exuam, quàm Sarcophagus meas exuuias sui iuris fecerit. De amore tuo veteri constantique dubitare, religione prohibeor: nec cadit tale quid μεταβλητικὸν in eiusmodi virum, in quo generosa animi vis, tanquam gemma in annulo, emicat. Salue Boëmiæ tuæ Decus, & optime vale, magnifice Mülnere. Ex Iulia Cal. Ianuari, Anno M. D. XCIX. quem tibi prosperum ex animo precor.

SALOMON. FRENCELII MISCELLANEORVM

LIBER QVARTVS.

POTENTISSIMI REGIS DANORVM Insignia.

REGI *Asigna hæc sunt: diademata, corda, Leones,*
Hasta, vrtica, trabes, crux, Draco, Cycnus, Eques.
Tot cuius, diuersa adeo? virtute suorum
Hæc Regum meruit DANI Asigna potens.
Res per signa vide: Daniæ hæc sunt propria: ro- Maiestas, pietas, mens animosa, fides. (bur,

Ἀνρόσιχις Nominis

HENRICI IVLII DVCIS BRVNSVICENSIVM &c. Domini mei clementissimi.

Hic Est Nomine Re Iustus, CV stosq; Suorum,
Insignis Vindex Legum, IV risq; Sacerdos.

Ἀνρόσιχις Nominis

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ERNESTI, D.B. ET L.

Excellens Regum Natura Est, Si Tria Vtant:
Sauitiam, Doctrinæ Barbariem, ET Leuitatem.

Ἀνρόσιχις Nominis

FORTISSIMI PRINCIPIS AVGVSTI, D.B. ET L.

AVdaci Gaudet Victoria Sanguine: TVSii
Ductor Beati Exercitus Lectissimus.

In Natalem

Illustris. Domini, Dom. VVOLFGANGI ROMPF, L. BARONIS, &c. Herois excellentissimi, S. Cæs. Maiest. Consiliarii intimi, & primi.

Mirabar, cur per nubes, imbresq; fugatas,
Sol hodie roseis inueheretur equis?
Sol idem vidit mirantem, & scisne, quis olim
Hauserit hac lucem luce? quis inde nitor?
Obticui. verùm ille: hac ROMPFIVS editus Orbi est:
Sum quod ego Mundo, CAESARIS ille throno est.

Pro decumbente Illustri Barone,
DOM. ADAMO DE NOVA DOMO,
Consil. Cæs. & supremo Regni Boëmiæ Burggrauio.

FAta NOVAM quid dura DOMVM quassatiu? an illa
Non noua semper erit, qua vetus est, & erit?
AEqua magis nomen quin fata foueris vtrumq;,
Rarius vt Medici quærat ADAMVS opem.

Illustri Viro,
IOANNI VVOLFGANGO FREIMONIO &c. Cæsaris Consil. intimo: cuius Symbolum:

Vel tandem terminus esto.

SI verum est, quòd sæpe moræ dispendia subsint;
Te rogo, Freimoni, *præcipitato moram.*

Et

Et tibi cum fuerit coràm data Cæsare *fandi*
Copia, Frencelii tunc memor esto tui.
Dum licet, esto memor: tua dum mihi Functio præstò
Post hanc, Freimonius vix mihi talis erit. *(est:*
Vix dabit absenti, præsenti quod negat Aula,
Vix tam germanum post habitura caput.
Euentus video, & fata ingemo postera: fructus
Dum licet ergo tuâ de Bonitate feram.
Rumpe moram: & voto vel tandem terminus esto:
Sic mihi Dux, portus sic mihi Cæsar erit.
Qui citò dat, bis dat: mora dura roganti, vt amanti
Tempestiua Bonis gratia grata magis. *(est:*

De Aduentu
LEGATORVM CAESAREORVM:
Magnif. & nobilis. V. V. CHRISTOPHORI à SCHLEINIZ, L. BAR. & CHRISTOPH. à LOSS, EQ. MISN.

Ad Comitia inferioris SAXONIAE Halberstadii habita.

QVis non Cæsarii lætetur adesse Palatî
Lumina præsenti turbidiore polo?

Fortunent Superi, misero hoc quodcunq; gerendum
Tempore pro Patriá, pro Patriæque Patre. (esi

In Cœna illustri iussus ex tempore dicebam.

IOANNI HILTEBRANDO MOCKHERO, S. Cæs. Maiest. Consil. intimo, Viro magnifico, & optimo, Pragam venienti, Patrono meo veteri.

ET Mockherus *adestne meus? meane illa voluptas*
Quo sine si vita est; vita tamē breuis est? (ptas,
O salue desiderium, Mockhere, *meum ô Cor:*
Tecum vita mihi: te sine nulla mihi.

IN DIE ANDREAE.

Ad magnificum Virum ANDREAM HANNIVVALD &c. Consiliarium Cæsarium, Patronum meum.

SEu *tua Natalis, seu non hæc candida Lux est;*
Quòd tamen, ANDREA, nobilitata tuo est

Nomi-

Nomine, iure tua est: idcirco hanc more vetusto
Totam, fata sinunt dum bona, sume tibi.
Gaudia grata Deo, Pietas quæ temperat, extant:
Et medicina animi sit moderata quies.
Solue Deo grates igitur, frontemq; serena,
Funde preces, epulas instrue, funde merum.
Mox ego subijciam votum: tibi fata reducant
Sæpius hanc hilarem religiosa diem.
Te pius vt Cæsar *longùm, & longùm ipse fruaris*
CAESARE, QVO MELIVS NIL MALVS ORBIS HABET.

HENRICVS RANZOVIVS, PROREX CIMBRICVS Ad Eos, qui à nobilitate suá degenerare se autumant, si literas sciant.

ARrigite huc aures ô quotquot *Splendor Auorum,*
Et doctrinarum nobilitauit honos.
Quos tamen ob Musas Centaurorum effera proles
Prosequitur q; odijs, prosequiturq; dolis?
Nobilitatis honos, & Gemma Henricus *auitæ*
Ranzouius, *per quem Teutonis Ora cluet.*
Audiit vt, quosdam ex Equitum grege prorsus ini-
Ferre animo, Aenias quòd cumularet opes. (quo

Nempe quòd in ſcriptis condendis poneret æuum,
Ederet & variis tot Monumenta modis.
Subriſit primùm cano aſpectabilis ore,
Pòſt, memorabilibus vocibus vſus, ait:
O brutos homines, mihi qui non illa relinquunt,
Quæ non ſunt ipſis noxia, grata mihi!
O Heroica vox, & Diuo Neſtore digna!
Audite hanc thalamo nobiliore ſati.
„Doctrinâ in quouis pulcrà eſt, ſe pulcrior ipsâ
„In vobis: armat Martis vt, Artis honos.

IN NATALEM GVLIELMI AB OPPERSDORF, Lib. Baronis &c. Legationem obituri.

CErnis, vt exſertet ſe Lux hodierna ſereno
Sole, nec heſternæ præcipitentur aquæ!
Hæc octaua dies eſt, & vigeſima Maij,
Nomine quæ gaudet, Magne Patrone, tuo.
Fallor? an omen ineſt? quid ni? velut æthere toto
Diſcutit heſternas ſol hodiernus aquas.
Sic nunquam variant ſi non nigra nubila ſortem,
Indicium vitæ proſperioris habent.
Sol vmbras ſequitur, lux noctem, gaudia fletum,
Et fortuna ſuas gaudet obire vices.

Huic

Huic igitur, Gulielme *Baro, perſolue diei*
Debita, lætitiæ dans noua ſigna piæ.
Omen erit præſens toto lux fulgida cœlo,
Si modò ſpes precibus iungitur, omen erit.
Iamq; capeſſendum Legato Cæſaris almi
Dulce dat augurium, ſi modò credis, iter.
Ergò inſiſte viam, fauſtoq; negocia niſu
Confice, & vxoris ſaluus ad ora redi.
Comprecor hoc totâ, Mecœnas optime, mente:
Votum ex prolixa pectore promo breue.

In tractatum de Iniuriis LVDOV. SCHVVARZMEIERI, Cæſ. Conſil.

QVòd, quàm conſilio, tam ſcriptis pluribus ornas
ASTRAEAM Alumnam Iudicis
Syderei: quòd præcipuè diſſoluis acutos
Iniuriarum nodulos.
Quicquid bile tumens Momus crepet, omne mereris
Punctum, perennem & gloriam.
Namq; quid hoc, miſerè quo Ius adſtigitur Aeuo,
Iniuriis vulgatius?
Adſtruet omne genus laudum excelſiſſimus Heros
Tibi Cardinalis Auſtriæ.

Adſtruet

Adſtruet, à thermis cui dulce ſalubribus hæret
Cognomen, audax Marchio.
Ipſe Moguntinus, *Romani ampliſsimus Orbis*
Septemuir *adſtruet: quibus*
Omnibus antè fidem, doctrinæ vſumq; probaſti,
Senator integerrimus.
Quid? quòd & ipſe, operam cuius nunc Curia ſum-
Explorat, optimus tuæ (*mam*
Teſtis erit Cæſar *virtutis, & Auctor honoris,*
O Vnus inſtar omnium!
Fit tibi, producunt vitæ niſi ſtamina Parcæ,
Ludouice *nonne Iniuria?*

IOANNI VVITTE, IC.

Illuſtriſsimi Principis ERNESTI Ducis Brunſuic. & Lunæb. Conſiliario, Viro ampliſſimo, Amico meo, Iter adornanti.

ECquid ais, mi IANE? tibi ne eſt tanta viarum
Menſura hyberno conficienda ſolo!
Fallor? an imponunt, facunde, negocia VVITTI,
Hoc tibi forſan iter Principis alta tui?
Quo te IANE ſequi non poſſum corpore, votis
Inſequar, atq; omni proſequar vſq; viâ.

Fatis

Fatis ergo bonis iter ingrediare, peracta
Reſq; bene huc fatis regrediare bonis.
Perge: ſeges laudum tibi pullulat, impigra virtus
Sementem iecit: poſt breue Meſſis erit.

VVENCESLAO PLACELIO, ab Elbinga, mœſto viduo, itineri accincto.

TRiſtitiæ res plena quidem, diſceſſus Amici:
Spes tamen hanc reditus certa leuare ſolet.
„Nomine verùm ô quis genuini dignus Amici?
„Cui te, cui poſsis credere, quicquid habes.
Quod noſtris igitur te nunc complexibus aufers,
Triſticiam reditus ſpes mihi ſola leuat.
Te modò Cælicolûm ſtipet chorus, ô mea Curá,
Ingq; hos mox lætâ fronte reducat agros.
Poſt luctum fructus redeat, poſt funera fœnus,
Altera poſt Annam nobilis Anna tuam.

Votum Muſicorum IN ACTVM NOVORVM LL. DOCTORVM.

VEntum ad ſupremum eſt: Vos plaudite; plaudite; quorum
Nunc capit exhauſtus præmia ſumma labor.

Au-

Aurea sit vobis, quá vos Themis alma coronat,
Laurea: non aliis noxia, grata Deo.

Illustri Viro MELCHIORI A RHEDERN. Libero Baroni in Fridland, Seidenburg, & Reichenbach &c. Consiliario Cæsario,

Militi generosissimo, & Christianæ Libertatis Propugnatori acerrimo.

Mitto tibi iussus Gulielmo *scripta Baroni*
Carmina Patrono qualiacunq; meo.
Non, vt turpe lucrum consecter, mitto, quod isto
Versificatorum tempore vulgus agit.
Sed quia tu studiis imbutus es Ipse Minervæ,
Vnde soles latio, quùm libet, ore loqui.
Vnde soles castus, generose, fauere Camœnis
MELCHIOR, & doctos doctus amare viros.
Non ego pars horum: verùm vestigia adoro;
Et mihi pro Stimulo est, posse placere Bonis.
Ergo meos aliquo dignare fauore libellos;
Et causſam hanc scripti noueris esse mei.

Viue

Viue diu in cladem vastantis cuncta Tyranni!
Milite Christiadum te chorus omnis ouat.

IN ANGVSTVM DOMICILIVM.

PArua domus nobis: quid tum? sub tegmine paruo
Spes, honor, & virtus maxima sæpe latent.

IN INSIGNIA TOBIAE LINDNERI à Gronaich Patricii VVratislauiensis &, Senatoris Præcipui, Viri nobilissimi.

GEns tua, quæ gestat clypeo galeáq; Leonem,
Participem laudis te facit ampla suæ.
Rex Leo quadrupedum signum est regale virorum,
Quos mens & virtus bellica laude vehit.
Hanc olim Getici deportauêre triumphis
Maiores, vitam ducis & vnde genus.
Sed tu, qui Phœbi, non Martis, castra secutus,
Quo, LINDNERE, Patrum præmia iure geris?
Optimo: vt es felix laudati nominis hæres:
Hæredem sic te gaudet habere Leo:
Nempe animus fortis, constans placabilis, altus,
Ingenuus, velox, prouidus, acer, cuans.
Sed tria quid Tiliæ *folia vngue Leonis adumbrant?*
Hæc demum ingenii sunt documenta tui:

Circa

Circa ædes plerumq; sacras Tilia ardua, latè
Ad cælum tendens brachia, stare solet.
O pulcræ nota pulcra rei! Te sanctius ecquis
Haud fictâ Christum Religione colit?
Iam quos non Phœbo, Tobiâ, decernis honores,
A quo doctrinâ fertile pectus habes?
Vt Tilia expandit ramosa Nepotibus vmbram,
Vnde odor ambrosius defluit, vnde liquor:
Sic vmbram gaudent sub te captare locumq;
Castalides, tua quæ nomina laude colent.
Inde trium indicio foliorum, atq; vngue Leonis
Nascentur studiis commoda terna tuis.
Tu diuinato, quæ, qualia, quanta? fateri
Ingenuus prohibet me pudor ante diem.

MAGNIFICO DOM. MALDRO-IO BARONI Galliæ, & NICOLAO TRELLAEO, trium Regum Secretario, Viris præstantiss. in Lothoringiam Studgardiá redituris.

QVòd mihi iam vestri gratissima copia facta est,
Illustres arte & nobilitate Viri;
Gaudeo: sed quodam contra mœrore fatigor,
Copia quòd vestri longior esse nequit.

Vos

Vos reuocat celso cum Principe Patria; nec me
Amplius alloquio vult propiore frui.
Me quoq; fata trahunt aliò: sequor obuia: vtriq;
Quod dicam, superest nil, nisi triste VALE.
Illo igitur patrios Ductore reuisite fines,
Quo Duce ad hos salus deproperastis agros.
Sed non vlla animos subeant obliuia nostri:
Vos ego, quo fuero cunq; sub Axe, colam.

IN DIE MATTHAEI,

MATTHAEO DOMARACIO, Viro pio, & erudito.

HAEc est Matthæo, *cuius tu nomine clares,*
Dicta dies, oculis sæpe videnda tuis.
Id fuxit vitæ dispensans tempora nostræ,
Cui tua vita placet, Religioq;, Deus.
Viue Deo Matthæe *diu, tibi viue, tuisq;,*
Tuta sit vt precibus concio sancta tuis.
Exulet attrito de corpore morbus, vt illud
Sanum adeò perstet, mens vti sana tua est.
Vnius exitium veluti scelus attrahit vrbi,
Vnius vrbs sæpe est sic prece salua pii.

P MAR-

MARTINO KINNERO,
Vt me audiat Argumentum Sacrum perorantem.

Si te non piget eruditiorem
Tyronis dare vocibus tenelli
Aurem; cras studiis adesto nostris.
O MARTINE, tuæ Columna Gentis.
Tu verò, vt faueas tibi, faueto
Cœlum fronte mihi sereniore.

MARTINO HERTELIO,
Senat. Nisseno, Viro præstantissimo, Amino nouo.

FOedus Amicitiæ, quod nox hesterna ciebat,
Firmet Amicitiæ neruus, aperta fides.
Hanc, grauis Herteli, *dextrâ testare politâ,*
Deponens animi signa futura tui.
Non compilatur, de consuetudine vulgi,
Hic sine Iudicio dextertore Liber.
Caussa subest animos conseruatura fideles;
Illa hanc te seriem nobilitare iubet.
Noster amor veris patet officiosus Amicis,
Certabit fidei qui sine fine tuæ.

Mutua

Mutua vt hæc crescant sine fuco pectora, ceptum
Firmet Amicitiæ Fautor & Autor opus.

AVGVST. CRASSELIO,
Seni venerando.

ESt nomen commune tibi, munusq; beato
Cum Patre: propitio Numine vtrumq; geris.
O felix venerande senex! te gloria maior
AEthere, quàm Regum sceptra Ducumq; manet.
Instar enim stellæ rutilo fulgebis Olympo:
Perge igitur summâ munus obire fide.
Mentem AVGVSTINI Patrù Augustine teneto:
„Dic, fac grata Deo; si cupis esse Dei.

DE ADVENTV AMICI IN PATRIAM, Quando laborabam morbo.

DUm iaceo miser, & vix vix suspiria duco,
Omniaq; ante oculos sunt tenebrosa meos:
En subitò affulget noua lux: hanc miror, & vnde
Fulgeat, arrecto lumine dispicio.
Intueor radios: verùm ipsam cernere lucem
Non datur: inquiro, quæ noua fama volet?

Illa mihi: an neſcis, ſuccedat finibus hoſpes
Qualis? an HERMANNVM credis adeſſe tuũ?
Salue Hermanne, *iubar Patriæ; vin plura? quid hæres?*
Huc ades: haud nobis gratior hoſpes erit.

HENRICO LEONI SAXONI,
Viro magnanimo, ſapientiſſimóque, Patrono meo.

AD TRIBVNAL IVSTICIAE
accedenti.

NEſcio, quale mihi noua fama ſuſurret in aurem
Conſilium, tacitá quod quoq; mente tegam.
Nobile conſilium, quod Recti conſcia tandem
Euehet, at Falſi conſcia corda premet.
I velox, felixq; redi, LVX Teutonis Oræ,
Et, cui te credas, diſpice; crede tribus.
Cauſſa bona eſt, melior Cæſar, Deus optimus: alto
His inſiſte tribus pectore, Victor eris.

Idyllion
AD IOANNEM BODENMEIER,
Conſil. & Secret. Brunſuic. Amicum meum vnicè carum.

Res

REs noua, IANE! oritur bellum. ſcis quale? duellum:
Spem Metus aggreditur: Spes grauis arma capit.
Nobilis hæc illi Venator *porrigit: hoſtem*
His quatit: at luctam diſtrahit ecce LEO!
Iam quis, Amice, roget; quá ſtet victoria parte?
Et Spe *VENATOR* gaudet, & Ipſe *LEO.*

IACOBVS HORSTIVS
Anagram:

O RVS, O VBI? HIC STAS.

QVàm mirè fortuna hodie ſua diuidit arua,
Præcipuè his, Phœbi qui ſaturantur ope!
Vix tantas acquirit opes horum vllus, amœnum
Vt rus inde ſibi comparet, inde Suis.
Hoc ſolùm interdum Themidos contingit Alumnis:
Tantum Ius in Rus flexile iuris habet!
O Rus ô vbi *ſed medicæ Doctoribus artis,*
Et qui Scita colunt cætera, tale datur!
Immò ô rus hîc ſtas, *vbi ſtat pia IVLIA: qui te*
Excolit, omnigená præditus arte, metit.

SIGISMVNDO A PIRCKHOLZ, Marchiaco, Iuueni nobili, & ingenioso, Ex IVLIA in patriam reuertenti.

SIgismundus *abit* Pirckholzius: *incluta scisne*
IVLIA? nonne viæ accinctum, & maioribus
In gremio qui, DIVA, tuo tot amabilis annos (orsis,
Delituit, non ille tibi, non indecor vlli,
Omine prosequeris fausto? certè optima Pallas
Ingenium Iuuenis diuinis fertile rebus
Iudicio expolijt tali, quod pluribus æui
Maturis desit. sint ergo viatica vota:
Ingenium porrò felix Pirckholzius *ornet:*
Ornet & inde genus, Patriam, sese, omnia: tandem
Vna Sigismundum *toto mundissima mundo*
MVSA, calescentis Furuncula pectoris, ornet.

TRVNCI CEDVNT ARBORI.

RE*s salua est*; truncata cohors *dat deniq; Palmam*
Arbori *inabruptæ: quis modò Truncus erit?*

IOANN. CASELIVM, Philos. CL. ad Cœnam vocabam.

Cœnula conuiuam te nostra, diserte CASELI,
Expetit: oro, veni. coniux tria fercula nobis
Apponet, nec plura quidem: sed ego dabo quartum.
Quale rogas? rarum Candorem, *quo volo vesci*
Tecum CornelI *sobolem: tres consideamus*
Conuiuæ, siquidem plures Conuitia *dicunt.*
Naturam paucis contentam adferte: parata
Cœnula erit vobis, non Cœna: polite CASELI
Simplicitas placeat tibi candida. cætera coràm.

AD EVNDEM.

EN pyra, CASSELI, nec multa, nec optima, sed
Pessima, quæ nobis Area nostra dedit. (nec
Forsan plura dabo posthac, nec pessima, verùm
Optima, quùm mihi non Area; at hortus erit.

IOAN. IAGEMAN. Cancellario B.

ERgone tempus erit tandem, IAGEMANNE di-
Quo tibi de reditu, simul & de fine laborũ, (serte,
Quos varios, & quos miros, partimq; pudendos,
Lapsa Virago tibi cumulauit, gratuler: ergo
Saluus abi, nec sit citò te remeare necesse.
Cras tamen antè, fatigatus quam vesſere sero

Ingrediaris iter, noſtrum ingrediare Lyceum,
Atq; audi, quantum humanæ Concordia vitæ
Sit vinclum! feret hoc de te memoriore Iuuentus,
Et tua dicenti ſubdet præſentia calcar.

Anagrammatiſmus ex Nomine,
IOANNIS SCHONBORNII, celebris Reipub. Budiſſinæ Conſulis,
Senis ſpectatiſſimi.

IOANNES SCHONBORNIVS.

Cani Senis bonus honor.

EST ita: prouectæ ætati ſua gloria conſtat,
CANI BONVS q; HONOR SENIS.
Religioſa ideo capitis reuerentia cani
Apud Bonos ſemper fuit.
Aſt ea canities demum mihi digna videtur
Honore, amore, præmiis;
Quam virtus antiqua, Fides & CANA coronant,
Hodie quibus nil rarius.
IANE coronatum qui te ſic eſſe negabit,
Haud dignus eſt Canis, puto.
O, qui cycnæas imitantur tempora plumas,
Cani diu te ſoſpitent!

M. SA-

M. SALOMONI FRENCELIO,
Theologo veterano, Patri meo longè dilectiſſimo,

Cum mitterem Libellum Iacobi Oethæi Medici.

QVi tibi, Lux Genitor mea, tantum debeo, quantum
Filius haud Patri ſoluere quis potis eſt:
(Namq; decem Natos Pater educat vnus, at vnum
Non poſſunt Patrem ſæpe fouere decem)
Hunc à me facili cape quæſo fronte Libellum,
Autoris ſolidæ pignus Amicitiæ.
Sic placeam interea, donec *Mea Muſa paterni*
Famá inſignitum nominis edat opus.

SCHOLARVM VTILITAS,
ad
MEAM BRESLAM.

QVàm bene conſulitur Pubi populiq; ſaluti,
Vbi integræ florent ſcholæ!
Hæ nempe omnigenûm ſunt fundamenta laborum,
Cœliq; ſeminaria.

Te doctis florere Scholis, mea BRESLA, negabit
Quisquis, negabit omnia.
Nam quot, Equo velut è Troiano, prosiluerunt
Ex te Viri, verè Viri?
Consulis ergo tibi, tenero dum consulis æuo,
Solidis Scholarum classibus.
Omnigenûmq; paras hinc fundamenta laborum,
Cæliq; seminaria.
Hinc te purpureis extollit ad æthera pennis,
Comes laborum, Gloria.
Hanc magis atq; magis, rerum hoc squallore, *tuere*
O BRESLA Sydus Vrbium.

Ad Nob. & amplis. V.
IOAN. PVCHERVM à Pucha, Inclyti Senatus VVratislauiensis Camerarium, Meum Meorumq; Patronum munificum.

SIue Liber nomen vetus hoc, seu florida fagus
Imposuit generi, clare PVCHERE, tuo:
Omen inest magnum, memorabile, dulce, decorum:
Ars Libri, fagi est vmbra: quid ergo tei?
Incrementa capit per te Gens dedita Libris:
Vmbram eadem per te, sole premente, capit.

Aurea

Aurea te Musis sunt otia Præside: & vmbram
Ate, sancta colit Numina quisquis, habet.
Otia Musarum sunt dulcia, dulcis & vmbra est:
Dulce tuum nomen, dulcis & Artis honor.
Nominis hæc ratio seu vera, aut falsa putetur,
Tu tamen Aoniæ es fida Columna Domus.

In Scyphum Argenteum inauratum,
Quo Silesii Acad. IVLIAE Ciues
TOB. COBERVM Gorlicium, Artis Medic. Doctorem modò creatum donabant.

HOnoribus tuis, COBERE, hoc Munere
In IVLIA tui fauent SILESII.

SAMVELI REINHARDO, V. CL.

NVptæ Marite bellulæ bellissime,
Vide, occupata pluribus negociis
Curisq; mens humana quàm sit labilis!
Ipsius Etus, tam venustum Animalculum,
Olim tuam qui procreauit EVVLAM,
Et nunc toris discumbit optatissimis

Cæli

Cœli beatâ in arce Conuiuantium,
Notum priùs nomen laboranti excidit.
Sed attinet quorsum requirere id anxiè,
Cum fama nunc superstit integerrima
Vitæ Comes; bonisq; constet omnibus:
Illum fuisse Lumen vrbis incluta,
Inter Patres, clauo assidentes qui viris
Dant iura, dant leges verendas maximè.
Ignosce quæso lapsui memoris minùs
Animi, secundæ quem nouis resarcient
Opusculis curæ, breui integro ordine
Quæ publici fauente sient Numine
Iuris: quid ergo quispiam hic desideret?

THOMAE GROS SIL. Iuueni erudito.

MAgni nomẽ habes, calcarq; in nomine, THOMA:
Pergito, cepisti quo pede: magnus eris.

BALTH. VVILDPRET Silesio, Adolesc. erudito,

De donationibus disputanti.

Dona

DOna quòd ingenii de donis *exeris, illa*
Quo faciunda modo, quo capienda modo!
Dignus es, vt patriæ sis Donatarius, *à quo*
Illa tamen rursus mutua dona ferat.
Nec dubito: tantum tu donis nauiter vti
Perge tuis, & spem perge fouere meam.
Norma placet morum, placet hæc industria: tantum
Proficis, vt sperem plurima, plura probes.
Macte hac laude, tibi quam dono, BALTHASAR,
Iure! Dei donum est, complacuisse Bonis. (*omni*

POETAE NON SERVILIS natura.

Ad Amicum.

CArmen an hoc dubitas num sit sub vespere na-
Crede mihi, promtus singula dictat amor. (*tũ?*
Seruilis Natura fauet cui pectoris expers,
Huic Vati in numeros omnia sponte fluunt.

AD TOBIAM PAVRMEISTER, Cancellarium Episcop. Halberstad. Ex itinere.

GRatia sit CHRISTO! redii ex natalibus ortis
Hospes ad hos, saluo Principe, saluus agros.

Hic

Hic mihi nil prius est, nihil est solemnius, & nil
Gratius aspectu, dulcis Amice, tuo.
Principis à vultu plusquam clemente, TOBIA,
Principe te dignum sorte saluto redux.
Multa habeo te digna, tuoq; probanda fauore:
Cras aliò auellar: nunc tuus esse volo.

DVO CONTENDVNT DE Filiis.

DVo de duobus litigârunt Filiis
Patres, suum dicebat optimum prior:
At pessimum alter asserebat strenuè.
Ille huic furens ait: meus quòd filius
Fuerit malus, non pernego; sed desiit.
Tuus manet, qualis fuit, (nec hoc negas)
Dicax, ferox, proteruus, audax, prodigus.
Sed & meus deliquit olim perditus
A cæteris: perdit tuus sed cæteros.
Bellum hoc cui videtur haud bellissimum?
Audi, quid euentus ferat: negat omnia
Alter senex, crepat minas, vim, vulnera.
Interuenit Maiâ satus Cyllenius,
Faturq; sic: bono quid obijcis Patri
Malus pater? tuus est domi iam filius,
Quem quolibet luto vides prouoluier.

Ast

Ast hæret huius haud domi, sed exteris
Degit locis: quid rerum agat, malusne sit,
Bonusue, nescis. ast ego, qui peruolo
Omnes salis, soli poliq; rimulas,
Vitam, probè, quod sic agat suam, scio,
Vt te, tuoq; castior sit filio.

In nouas Aedes, IACOBI HORSTII MEDICI CL.

HAEc est sacra Deo, castisq; Domuncula Musis,
Parta labore, malis clausa, patensq; bonis.
Horstius *hoc gaudet Medicâ clarissimus arte*
Hospitio, in patriam migret vt inde nouam.

THEODORO ZVVINGERO Med. & Phil. excellentissimo.

IGnoti venit ad te Musa notum
Famâ, non facie, celebriori.
Audax fortè tibi nimis videbor?
Dici audax volo millies: vir audax
Si ille est, qui studet omnibus placere,
Quos sincera vehit per astra virtus.

VOTVM

VOTVM SOBRIETATIS,

AD IOANNEM POSTHIVM,

Electoralem Palat. Archiatrum, Medicum, Poetam, & Virum optimum, Amicum veterem.

HOrresco, si multa velim de crimine summo,
Quo non tætrius est, Ebrietate loqui.
Sufficit omnigenûm caussam dixisse malorum,
Et certum ad vitæ flebilioris iter.
Cur ergo, tua quæ pietas est, optime POSTHI,
Bestia non hostem te vocet atra suum?
Quòd sis, iam nouit Germania, perge; sequar te:
Pocula nec summi me Ducis inde trahent.
Dispereat, nomen captat quicunq; Poetæ
Ebrietate, feris moribus, arte malâ.
Fœdus amicitiæ nullum, me nulla mouebit
Ira: ira est potiùs nam metuenda Dei.
Propositi vt constans maneam, me deînde monebit
Annulus, aureolo qui teret orbe manum.
Si qua tamen coget me lex, vt sim ebrius vnquam;
Musarum cyathis ebrius esse velim.

DE PARAPHRASIB. N. FRISCHLINI, V. CL.

Ecquis

ECquis Virgilii pigmenta recondita passim,
Difficilem & Flacci Barbiton esse neget?
Quis Satyras neget obscuras, quas Perseus acer
Condidit? en tamen hæc omnia plana tibi.
Qui tam perspicuè, tam propriè, & ordinè, & aptè
Exoluit metricis singula compedibus,
Vt nihil ad sensum Lector desideret vsquam,
Quantum & quale putas Numen id ingenii?

HERMANNO VVLTEIO IC.

Inclitæ Academiæ Marpurgensis Professori primario, & Consiliario Hassiæ, V. consultissimo, Amico veteri:

De obitu Patris IVSTI, doctissimi Viri.

TAntâ præstantem doctrinâ amittere Patrem;
Res, fateor, summi plena doloris erit.
Quando tamen certum est, & inexorabile fatum;
Mens hominum arbitrio subijcienda Dei est.
Tu verò, qui clara Patris vestigia carpis,
Desine tam mœstos ingeminare sonos.
Sit satis, ingenium tibi tantum à Numine factum,
Par Patri vt possis, maior & esse tuo.

NVLLA FELICITAS solida.

RArò inter sese longo discrimine distant
Sors bona, & aduersas vis operata vices.

FINIS LIBRI QVARTI Miscellaneorum.

MAGNI-

MAGNIFICO NOBILIQ. V. PETRO DE FISCHER, inclutæ Reipub. Embdensis Consuli amplissimo, prudentissimoque; PATRIAE COLVMNAE:

SALO. FRENCELIVS S. P. D.

AMicum Aristoteles nominat ζῶον ἓν μετάβλητον. Caue, talem me esse putes, amplissime Consul. Nam cum, teste eodem Philosopho, nemo sit, qui sine Amicis vitam sibi exoptandam putet, etiamsi omnium aliorum bonorum copiá circumfluat; ego sanè Amicorum parandorum sum appetentissimus. Verùm sic me fecit Natura, vt nemini me temerè obtrudam, aut quosuis ad necessitudinem meam adiungam: nec repudiem, quos

semel amare cepi: nisi aliqua enormis diuortii caussa interueniat. Quin etiam talis sum, vt si quis in cursu Amicitiæ atrociùs me læserit, ad iniuriarum ἀμνησίαν penè faciliùs, quàm par est, adducar; & ita me erga huiusmodi hominem, sui oblitum officii, geram, àc si nunquam in me deliquisset. Magnum hoc dicat quispiam, & difficile! sanè est: at Christianum, & nobis à Seruatore nostro, & Magistro opt. maximo præscriptum; qui hanc mihi gratiam largitus est. Sciunt hoc, & testimonium impertient, qui consuetudine quotidianá mihi congrediuntur. Quà igitur fronte animum mutem erga te, in cuius amore boni omnes occupantur? Nam, vt alios silentio præteream, quot quantorumq; Virorum in Regiá Augusti Cæsaris beneuolentiam breui tempore tibi conciliasti, & eorum quidem, qui primas tenent (quod paucis eò confluentibus contingere memini) nec conciliasti malis artibus; sed ingenio excellenti, eleganti doctrinâ, mirá suauitate morum, integritate, candore, prudentiâ, cæterisque virtutibus, dignis tali viro? Non hîc instituam sermonem Panegyricum, cum de tuis virtutibus aliquid in Proëmio Oratiun-

tiunculæ nostræ de Concordiá attigerim. Et cur tu Amicum me experiaris ἐυμεταβλητον, cum animum ad me amandum ita adieceris, vt omnes affectus expressisse videaris; quod etiam admodum nuper, quùm hac transires abundè demonstrabas. Merito idcirco te veneror tuo, & magnifacio: diemque illum albo (quod dicitur) lapillo notandum existimo, quæ nos primùm coniunxit: estque tua mihi Amicitia non minùs in precio, quàm si à compluribus annis initium sumsisset. Id verò nô tibi duntaxat constare volo: sed φιλοφίλοις omnibus: & hoc ipso arctiùs me ad constantiam te amandi obligo. Perspicis iam, opinor, caussam, quamobrem huic Catalogo te inseram; huncque ipsum Libellum sub tuo nomine apparere velim. Nec est alia, nisi fortasse; quòd hoc officiolo tuam mihi beneuolentiam confirmare studeam: etsi non video, quid possit accessionis fieri ad id, quod per se est solidum. Rogo te autem, atque oro, ne hæc tibi Nuncupatiuncula displiceat: quod vnum si abs te impetrauero, nouo me beneficio adfeceris: pro quo nihil equidem iam tibi, nisi hoc votum, reponam: PETRVS DE FISCHER, Patriæ suæ BRVTVS,

siue AFRICANVS, floreat, & non tam sibi, quàm Reipub. viuat, viuat. Ita te saluere, atque valere iubeo, magnifice idemque humaniſſime Petre. Ex Iulia Calend. Ianuar. Anno M.D.XCIX.

SA-

SALOMON. FRENCELII MISCELLANEORVM

LIBER QVINTVS.

RODVLPHO II.

PIO, SAPIENTI, BENEFICO, Felici.

Cum ex Aulá auocarer.

NI tua me, Cæſar diuine, *poliuit ad vnguem,*
Moribus ornauit attamen AVLA bonis.
Moribus, *impuri mihi quos non exuet anceps*
Progenies, patrio ſtercore ſepta, Lupi.
Et te (quæ laus eſt nunquam moritura RODVLPHE)
AVGVSTVM experta eſt noſtra Thalea ſuum.
LECTORE Mq; eadem te te iactare ſuperbo
Audet, mentito non tamen, ore ſuum.
Nunc Patriæ repeto, fatis ſuadentibus, arua,
Terras iure tuas; vnde ego iure tuus.
O caput Imperio carum, quas pectore poſſum
Concipere, has grates dico, RODVLPHE, tibi.

Viue tui, Cæsar, *memor inuictissime Vatis*:
Et Laurum, & Cycnum perge fouere meum.
Viue diu Cæsar: *magni tibi Conditor Orbis*
ADSIT in hoc rerum turbine; *tutus eris.*

Generoso & magnifico Dom. Dom. IOAN. FRID. HOFMAN LIB. BARONI, Consil. Cæs. magnæ virtutis, & doctrinæ Viro, è Francia in Boëmiam redeunti.

QVòd tu saluus ades nobis; certamus Amici,
Omina lætitiæ quis dare plura queat?
Omnibus es carus præsens, es carus & absens,
Prosequitur fidâ te prece quisq; bonus.
Omnibus idem animus de te, votum omnibus hoc est:
Salue: exoptatus IAN-FRIDERICE venis.
Maxima spes de te: quam si superabis; habebit
Patria, quæ statuat pòst monumenta tibi.
Viue modo! hoc voto certant in amore fideles:
Cur adeo? nam te spem superare vident.

Generoso & magnifico Dom. Dom. CHRISTOPHOR. à SCHLEINIZ. De illustri dignitate BARONATVS.

Virtu-

VIrtuti sua constat adhuc Reuerentia: constant
Præmia: nec cecidit protenus omnis honos.
Hanc fouet, hanc ornat Mateslas ardua diui
Cæsaris: *in cuius Nomine Numen inest.*
Quandoigitur virtus stabilem pulcerrima sedem
Fixit in ingenio, Vir generose, tuo.
(O dulce hospitium! tali ô digna hospite sedes!
O & Cæsareo Numine dignus honor!)
Iure nouo sapiens mactat te Cæsar *honore,*
Stemma loco statuens editiore tuum.
In te SCHLEINIZI virtus animosa triumphat:
Tu verò æternâ laude tropæa geris.
Propterea meritò tantum tibi grator honorem,
Illustri Heroum stirpe create BARO.
Te maiora manent! si non sum carmine vates,
Attamen hoc Vates nomine forsan ero.

ILL. V. HEN. RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO, Cum Rege suo in Aulam Brunouicensem aduenienti.

ET tu etiam sceptri, quod amico numine vibrat
Rex tuus, ô fulgens gemma, verende Senex,
RANZOVI nostros aduentu clare penates
Et luce illustras nominis vsq; tui?

Quid mirum, GVELPHAM fulgere sereniùs au-
Et lætá à Musis carmina fronte cani? (lam;
Stella quod est cœlo, capiti diadema quod aureùm,
Ranzoui, *hoc Regi tu generose, tuo es.*
Illi tu, nec enim numero sapientia crescit,
Pro cunctis sapiens vnus es: inde decus.
Ergo pro Henrico *liceat mihi dicere diuum*
Nestora: Nestoreos viue proinde dies.

Ad Generosum multáq; rerum experientiá præstantissimum NICOLAVM VVARGOTSCH, Equit. SIL. Cæs. Maiestat. Consil. & ad magnum Ducem Moscouiæ Legatum, de rebus Christianorum præclarissimè meritum, Amicum meum singularem.

Cum tertiá Legatione perfunctus feliciter rediisset.

NOn vulpem mulcere meum est: sed vera fatebor
NICOLE Teutoniæ Lux es, honos Patriæ.
Durum emensus iter meritò dignissimus omni es
Laude, patrocinio, Sorte, loco, & precio.
Quinq; tibi tribuo. satis est: nam maxima paruo
Effari nunquam carmine facta licet.

Immò

Immò sat est, tantos te perpetuasse labores,
Et tot inaccessas peruolitasse vias.
Magnus es! & meritò: quia magni Cæsaris *acta*
Legatus magno conficis ingenio.
Faustus es! & meritò: quia fausti Cæsaris acta
Legatus fausto conficis auspicio.
Quem mordet laus ista, tuos imitetur honores:
O quantum est summi Cæsaris *esse decus!*

In cœná Optimatum Cæsariorum iussus adplaudebam.

IOAN. IAGEMAN CANCELlario.

NVper vt HENRICVS Iagemanni *sedibus Hospes*
Successit Princeps, vox mihi visa polo est
Talis inaudiri: quam vim, Iagemanne, *timeres?*
En vtriusq; tibi Numinis Aura fauet!

FRATRIBVS ET ADFINIB. GRISBECCIANIS forte fortuna conuenientibus, Viris nobilissimis, Amicis meis periucundis.

GAudeo, te saluum nostros repetisse penates,
Effigies BLASI, Patriæ, amorq; tui.

Gau-

Gaudeo, quòd FERDNANDE tui mihi copia fiat,
Cui volupe est Musis inuigilare sacris.
Gaudeo, CETRIZI, didici quem nuper ab vngue
Nosse, tuo dulci quod datur ore frui.
Gaudeo, Lux Generis, SILBERE, ô aurea prisci,
Totus in amplexum quod ruis vsq; meum.
Gaudeo, VVENCESLAE, Decus, Duxque optime Fratrum,
Quòd tibi tot Socios iunxerit vna dies.
Nemo est, quem voris non conuenientibus ornem:
FERDNANDO Corbem ne det Amica, precor.

TOB. PAVRMEISTER CANCELL. Halberst.

Tempore pestilentiæ cum Musis suauiter rusticanti.

DVm tristi rursus sæuit lue lethifer annus,
Sit Paurmeisterus sospes, & arua colat.

AMPLISS. SENATVI GEILNHVSANO, perliberali me hospitio excipienti valedicebam.

Hic-

HIncne abeam mutus, nec me cumulantibus vltrò
Muneribus munus reddere coner ego?
Reddam equidem: sed quale? solent quod habere Poëtæ:
Nam genus hoc hominum semper egere solet.
Pro re verba locat: pro vino Vena stat: auri
Pro numeris numeros charta dat vda leues.
Re, vino, numeris me donas, clare Senatus:
Quid referam? numeros: prætereaq; nihil?
Immo aliquid. sed quid? votum hoc: qui præsides Orbi,
Perpetuò Cymbæ det bona vela tuæ.

POLONI QVI AD EXTEROS COMMEANT, tum Elegantiores cæteris fiunt, tum disertiores.

GEns patriæ vicina meæ sine labe. Polona *est,*
Omnigenâ rerum fertilitate potens.
Extera quotquot ab hac penetrant in regna, videmus
Moribus ornatos comiter esse bonis.
Hos, inquam, Comitem queîs se Prudentia iungit;
Plus quibus est mentem pascere, quàm faciem.
Hos iuuat, ingenuas animum excoluisse per artes,
Eloquii puros & didicisse modos.

Primo

Prima est ingenii laus, altera corporis: vtrius
Elicit insignes vtraq; : neutra caret.
Hæc quorsum? cunctis inuitamenta Polonis
Esse volo, laudes sic geminare suas.

IN PRIMVM.

PRimus es obscœnos inter, scelerumq; Magistros,
Primus lurcones inter, & hæreticos.
Primus in hospitio Potor, postremus ad aram,
Nequitiæ stadium primus ad omne. Vir es.

DE IACOBO HORSTIO MEDICO CL. AEdes emente.

NEscio, quid caperans frontem, & mendacia ru- (ctans
Liuor minetur Horstio? Horstius
Horstius *at quidnam facit? an timet?* (ades
Emit, resarcit, ampliat.

MAGNIFICO V. GEORG. TRADELIO, amplissimæ Reipub. Augustanæ Syndico, Conuiuio me excipienti:

Amico perpetuùm colendo.

Tot

TOt lauta ornatis apponere fercula mensis,
Vinaq; diuersis fundere creta locis.
Hocne est hospitio vilem excepisse Poëtam?
Quid tibi si diuus scribat Apollo dicam?

In Insignia TOBIAE DORNCREILII MED. D. Viri optimi & doctissimi, Medicinam in ILL. Ducatu Lunæb. cum laude fructuq; factitantis.

ORnamenta Deus multa in te contulit, inter
Cuncta sed, astra velut lucidiora, micant
Quatuor inprimis: prudens animi illa sagacis
Simplicitas, Candor feruidus, huicq; comes
Additus ingenuus pudor, &, quæ Regula vitæ est
Maxima, Religio, *fida Ministra Dei.*
Quam benè, DORNCREILI, tantarũ Insignia rerũ
Et clypeum, & galeam, CAESARE dante, geris!
Ecce etenim pulcrè clypeum discriminat albus
Cum rubeo, formâ simpliciore, color.
Legifer Antistes supra galeam eminet altam:
O signa ingenio genteq; digna tuâ!
Gente, per antiquum quæ fortibus extulit ausis
Nomen, & hæc hodie pignora laudis habet.

Orna-

Ornamenta Deo quem dante hæc quatuor armant,
An non editus est nobiliore loco?

FVR VENETIANVS sub Cucullo.

GRauem Furcifer in foro crumenam
Ferro abruperat inscio cuidam;
Nido iamq; tenens auem præhensam,
Inconsultum ibi longiùs morari
Duxit: sed pedibus negocium mox
Commisit: spoliatus at volantem
Cernens, cernere auet suam crumenam;
Sed frustra. sequitur repente furem:
(Nam plumæ nota sunt auis) retorto
Vultu fur videt ille persequentem:
Nec fallacia iam locum capessit:
Cursat longiùs, atq; ab insequente
Mouens se, Monachum citò obuiantem
Per omnes rogitat Deos Deasq;
Vt se contegat in sacro cucullo:
Inferri sibi vim. tegit fugacem
FRATER: præterit insequens, & errat.
Quid fit? vapulat interim Crumena
Miserti Monachi: solutus hinc fur
Consuetam repetit sodalitatem.

At custos miser hei, domum reuersus
Aduertit, sibi quis fuisset hospes?

IVRISCONSVLTVS. NOMINE tenus.

IVrisconsultus quidam vult magnus haberi:
Iurisconsutus *quòd sit, id ipse probat.*

IN NOTAS SVPER SLEIDANO, HENRICI MEIBOMII VVESTPHALI, Poëtæ Cæs. Collegæ mei.

VT Vir nemo bonus, qui non Virtutibus ornat
Ingenium: sic est nemo Poëta bonus,
Historiæ qui non studium prædulce Poësi,
Et SOPHIAE reliquas ordine iungit opes.
Non ego sudantis miror iam metra cerebri,
Solicitata diu quæ tibi Musa parit.
Nam quibus ecce notis, & quo SLEIDANVS a-
Splendet ab ingenio, splendet ab arte tuâ? (micTu
Inficias igitur quis eat, nisi Mancipium atrox
Inuidiæ, quòd sis iure Poëta bonus?

ANDR. CLVDIO IC. Consil. Brunſ. Collegæ meo.

RVris Caseolos beatioris,
Quos in deliciis habent Silesi,
Mitto quattuor. hos, amice CLVDI,
Boni consule, cum tot en Phaleucis.

IOAN. CASELIO V. CL. Collegæ meo.

EXcessit Medicina modum: Medicina sit ergo
Hodie mihi moderatior.
Hanc mihi, noster Amor, CASSELI clare, propius,
Embeccianam *postulo.*

IN ACTV POETICO, Quando GEORG. CAROLIDES Boëmus, fronde Lauri ex horto Cæsareo donatus fuerat.

CResce Dei in laudes, & magni Cæsaris: hæc est
Summa Poetarum Laurea, summus honos.

In Eodem Actu,

PRO IACOBO CHIMARRHAEO S. Cæs. Maiest. Eleëmosynario, Comite Palatino &c. V. magnifico.

Ecqua

ECqua Chimarrhæo *dicemus vota diserto?*
Vt viuant alii, viuat & ille diu.

IN EFFIGIEM IOAN. POSTHII Medicinæ Doctoris, & P. L.

NE rogita, quis sit, tabulâ quem conspicis istâ?
An pius, & doctos inter habendus homo?
Nam quibus haud famam peperit sibi POSTHIVS
Per geminum Lycei Numen opemq; Patris? (oris
Et medicâ, & melicâ iamdudum inclaruit arte:
Scilicet id geminum Numen; & artis opus.
An pius? ipsa etiam sileat si fama: vel oris
Hæc Tabula ingenui forma venusta docet.
Candor fronte, fides oculis, constantia labris,
Ingq; Genis gravitas cum pietate sedet.
Hæc sic expertus loquor, vt si secula tales
Nostra ferant multos, aurea secla vocem.

HENRICO GRVNFELDIO Excellentissimi Brunsuicensium Ducis Consiliario, magni Ingenii & Iudicii IC.to Collegæ meo.

FLoret honos, HENRICE, tuus: fortuna vireſcit:
Ex Campo viridi quàm bene nomen habes!

VALENT. GVILIELMO FORSTERO I. V. D. Valentini IC. celeberrimi Filio, paternæ laudis hæredi.

O felix tanto prognate parente Valenti!
Hunc ſequere, vt gaudes nomine; magnus eris.

IOAN. BODENMEYERO, Conſil. & Secret. Brunſuicen. Viro optimo.

Quòd currum mihi conceſſerat.

IANE, tuo vectus ſum curru, nec malè vectus:
Res aliquas etiam grates hæc nempe meretur.
Aureus ergò imber tot fundat ab æthere guttas
IANE tibi, rubri vnde equites conflantur in auro,
A me quot currus pluuiales arcuit vndas:
Quinq; tibi an dignas ita verſibus offero grates?

Nob.

Nob. & Excell. V.

IOANNI HILDRICHO, AVGVSTANO.

Qui me à Latrunculo ſpoliatum viatico liberaliter inſtruxit.

QVòd fera ludificet Rhamnuſia ſæpe Poëtas,
Nec ſinat optatá conditione frui,
Diſce meo exemplo: ſi quid peto, dura recuſat:
Si qua dat, inſidiis eripit illa nouis.
Vix auri dederat nuper mihi non nihil, aſt hei,
Dum ſublimis Equo vector, iniqua rapit.
Triſtis, nudus, egens vicina ad mœnia tendo:
At tu dextrá hilarem me facis eſſe tuá.
O te, HILDRICE, bonum! ſic it poſt nubila Phœ- (*bus:*
Diſſpeream, ſi non tu mihi Phœbus eras.

IOANNI RVCARDO, MED. Excellenti, verſibus me excipienti reſpondebam è veſtigio.

CVncta tibi, quæ tu mihi, ſuauis Amice, precaris,
Cum reddenda piis ſint pia vota, precor.
Gratum eſt, quòd tali venientem exceperis ore:
Noſtra erit & poſthac par in amore fides.

BALTHASARI EXNERO HIRSPERGENSI Silesio, In libellum ipsius.

VT te Sparta ornet tua, Spartam BALTHASAR
Quanta futura tua Industria, tãtus eris. sorna:

In nouam Typographicam officinam prope IGLAVIAM Marcomannorum.

HEîc sua transcribunt Monumenta nepotibus artu
Calcographi Musæ: dignus honore locus!
Sit genius Musis, sint præmia digna labore,
Queîs sine Res friget publica, priua tepet.

ANDR. CAMERARIO, DE LEGAtis disputanti.

ET quando vis nostra tuis succurrere cœptis
Vota; cape hæc: monitis tecq; parato bonis.
Omnes si legum penetraueris vsq; recessus,
Cepisti, Andreà, *quo pede, quoq; oculo:*
Hos de Legatis *quáq; arte resoluere nodos*
Niteris ingenii præpete fretus ope;
Credibile est: scripturam olim LEGATA labore
Astræam, sua cui præmia, digna tua.

Augurio vt felix respondeat exitus isti,
Deficiat Patriæ spes nec honesta Patres,
Nostrûm optare: tuum est, virtute atq; arte mereri:
Semper enim precibus debet adesse labor.
ARS, quod LEGET, habet: virtus LEGATA secundat,
„Stultus vbi à culto pectore fastus abest.

In Herbarium nouum IACOBI HORSTII V. CL.

HErbariorum Conditores plurimos
Videmus hoc scripturiente seculo,
Quos nec nimis laudârim ego omnes, nec nimis
Vituperârim, ne illud audiam vetus:
Ne Sutor vltra sordidus crepidam. *sed hem,*
Quid hoc rogatus efferam de Herbario?
Quid? liberè verò loquar, quod sentio:
Compendiosa hîc lucet Eruditio:
IACOBVS AVTOR HORSTIVS! quid amplius?

IN ORATIONEM QVANDAM Heidelbergæ à me habitam AD LECTORES CANDIDOS.

NEscio, num cuiuis hæc sit placitura Poësis?
Hoc scio, quòd vobis: cur? quia grata Deo est.

Huic placuisse, malùs est displicuisse: quid ergò
Hos moror? Ingenui est dicere vera viri.

AD LIBRVM.

ERgo, chare liber, periculosum.
Nunc intrare iter ad nouos Patronos,
Qui te suscipiant, ament, legantq;.
Audes? tutus eris quidem sub ipsis;
Tutus; sed via ne, caueto, lædat.
Et si fortè tibi quis obuiabit,
Explorare voletq; multa, risum
Finget, verba dabit, iocos ciebit:
Noli fidere, fraus latet, latetq;
Fel sub melle, latent calumniosi
Ictus. Tu breuis esto, cùm loquéris,
Vnâ voce precare ei, valeto.
Nimirum, bene si valebit ille,
De te vix malè sentiet Viator.

IN MOMVM MEVM, si quis est.

CVm perimant alios, vitam mihi toxica seruant:
Scis, quid, Mome, velim? laudo tuos stimulos.

ILL.

ILL. V. CHRISTOPH. à SCHLEINIZ, L. Baroni Cæsar. Consil.

ME miserum, amplexu quòd cogor abesse Bonorũ,
Quales, Schleinizi, *nunc tua Mensa capit.*
Corpore salue absens equidem, sed pectore præsens,
Desine Frenceli nec memor esse tui.
Tempus erit, quando mihi te pia Numina reddent:
Nunc, quò non possum corpore, mente feror.

IOANNI IAGEMAN, Cancellario Brunsuic. &c. ἀκρόστιχις.

INgens OMEN HABET NOMEN: NON ERGO SINISTRUM
INGREDERE AVSPICIUM: GRATA EST MENS ASPERA NULLI.

Magnifico nobilissimoq; V. GVNTHERO à BARTENSLEBEN, Eq. Brunsuicens.

Phlebotomiam patienti.

O sanguis, cui tam vetus, atq; illustris origo est,
Bartslebie, antiquâ qui probitate cales:

R 5 Venam

Venam vbi Guntheri *Chirurgus falce secabit,*
Effluat vna à te guttula pura, caue.
Largiùs at, quod inest vicioſi cuiuſq; liquoris,
Exeat, & ſuccu det meliore frui.
Gunthero *vt ſanum ſit ſano pectore corpus,*
Molliter vtq; ſuos tranſigat ille dies.
Rariùs vt Medico ſit opus, vel deniq; nunquam:
Sed Medico ſemper ſint ſua dona tamen.
Semper honos Medico conſtet ſuus, & ſua merces:
Et ſua Gunthero *conſtet vtriuſq; ſalus.*
Sanguis iò in multos caleat Bartſlebius *annos,*
Et fundat latices in latus omne ſuos.
Sic ſeriem extendat generoſa propago Nepotum,
Sic creſcat VERAE nobilitatis honos.

IACOBO CVRTIO, VIRO ſummo.

AD finem properat vetus, & nouus imminet Annus:
Spes de venturis æquior eſſe ſolet.
Finiat ô veterem noua ſors mihi ſors bona ſortem:
Et pulſa veniat nube ſerena dies.
Sis mihi Sol, Curti, *veteri vt mihi dura quod anno*
Fata recuſârunt, dent veniente nouo.
In virtute tuâ ſpes noſtra tenaciùs hæret,
Quò rerum differt longiùs Autor opem.

Non

Non aufert, quod quis differt: ſua tempora lætis
Sunt rebus, ſua ſunt triſtibus: aſtra probant.
Non ingrata mora eſt, quàm felix Exitus aufert:
O mihi per te ſit grata, IACOBE, mora!

IOANNI HARTMANNO AB ERFFA &c. Conſiliario Lunæburg. primario, Pragá abeunti.

HACtenus, Erffiadum *decus ô* Hartmanne *tuorum,*
Dulce fuit tecum viuere, dulce loqui.
Nunc triſte, aſpectuq; tuo, alloquioq; carere:
Sed dant fixa ſuum fata cuiq; locum.
Ergo, vocant quò te tua fata, & vota, ſequaris,
Nuptæ vota nouæ, vota tuiq; Ducis.
Vis comes comites? en hos tibi Regia cœli
Addit, vt ad patrios te comitentur agros.
Quid cunctaris adhuc? perge: haud vis vlla nocebit:
Namq; vbi turma præit cœlica, tuta via eſt.
Perge, tuiq; hilaro ſolium pete Principis ore,
Acer & in thalamum pòſt rue, Sponſe, nouum.
Sis felix illâ, veloxq; hac parte; nec vltra:
Plura hortaturo traxit Apollo manum.

NICO-

NICOLAO RHEDIGERO, à Strisa, in Sponsberg & Strisá, NICOLAI sapientissimi Reipub. Vratislauiensis Præsidis Filio optimo, Viro genere, Virtute, & exquisitá doctrinâ nobilissimo.

MAxima Pieridûm pars Mecœnatibus orba est:
Sæpe rogat, pauci quid roget illa, rogant.
Tu sed in hanc fatis melioribus edite lucem
Eximium æquiparas nomine req; Patrem.
Ille operam confert omnem Cultoribus Artis,
Et cœli & terræ consulit ille foro.
Patria testis erit locuples, RHEDIGERE; Paterq;
Quem meritis auxit pluribus, ipse meus.
Mens eadem, studiumq; tibi est, nec desinit esse:
Hinc eris oppressi viuida Palma Gregis.
Nec sum animi dubius, forti quia Patre creatur
Fortis, & ex Aquilâ nulla columba venit.
Quid verò moneam, dubitemue incredulus? an non
Viuit adhuc in te, viuet & vsq; Pater?

Faciebam Adolescentulus.

ILLVSTRI DN. DN. SEPTIMIO â LICHTENSTEIN, summo ingenio, summáq; virtute Baroni, AVSTRIAE Syderi, Pragam venienti.

Illane

ILlane iam repetit Lux Lichtenstenius *Aulam,*
Cuius nuper erat dextera iuncta meæ?
Illene SEPTIMIVS, quem totum penè per Orbem
Vectum quisq; manu monstrat, & inquit, hic est?
Illene, qui Musis decus, & cui gloria Musæ,
In cuius Charites pectore, fronte venus?
Illene, cui desit nihil vllâ parte, nisi illa, (OS?
Quæ pariat similes SEPTIMA SEPTIMI
Salue Cæsareis hospes dignissime tectis,
Salue iterum Gentis, SEPTIME, prime tuæ.
Caussa gerenda tibi grauis est: Astræa secundet
Euentum, vt Victor restituare Tuis.
Quid porrò? optatâ tandem potiare puellâ,
Quam nisi tu ducis, ducere nemo potest.

VVENCESLAO PLACELIO, MEO.

VVenceslae veni: te Sobrietatis Amicus
Inuitat: libo pocula pauca tibi:
Pocula pura, mero spumantia amore: recusas?
Te tamen ardenti semper amore colam.
Postmodo disiungent nos interualla locorum
Maxima: iuncta tamen corda tenebit amor.
Vt votum hoc confirmet amor, typus iste perennis
Floreat vt vitæ, VENCESILAE veni.

AD

AD AMICVM, Cuius vitæ Inimicus nefariè insidiabatur.

O scelus! ô mores! ô tempora! verberat aures
Quæ mala fama meas? estne adhibenda fides?
Substruit insidias etiamne Calumnia vitæ?
Hæcne tuos intra nec bene tuta lares?
Belua florentem nequeat cum sternere famam,
Scilicet in corpus concitat arma tuum.
Ne noua te turbet nimiùm formido: per istud
Cui bona, cui mala sit causſa, patebit opus.
Iusticia ô ter-sancta refer: quo nomine dignus,
Qui, quod iure nequit, vi & dolo petit?
Dii caput hoc perdant: tandem at bona causa triumphet,
Fraus & sit Autori perniciosa suo.
Ne dubita: Euentus, vindicta & certa sequentur:
Tu modò disce æquo pectore ferre moram.
Miles es: est & tibi Scutum Mens conscia recti:
Huius præsidio, cum PRECE, Victor eris.
At metuenda mihi vis est quoq; Iudicis, inquis:
Quid tum? Ius premitur, non tamen opprimitur.
Conscia mens recti Mater, Fortuna Nouerca est,
Est Deus Ipse Pater: MARCE, quid ergo times?

CLAV-

CLAVDI POETAE.

PRolongare pedes, & decurtare soletis:
Officium hinc faciunt non bene sæpe pedes.

M. ANDREAE KEMPELIO AVSTRIO, PROPEMPTICON.

ERgone natales, me absente, redibis in oras?
Nec coràm fas est ingeminare vale?
Qui mihi, Kempeli, (nec enim te fortè pudebit)
Iunctus eras lecto, fœdere iunctus eras.
Quid te causæ adigit brumali tempore tantum
Carpere iter? quæ te Musa venusue rapit?
Si Musa; in Patriam quid abis, cum docta Tubinga
Aonii Nutrix sit veneranda chori?
Si Venus; à Sueuis quæ distrahit aura puellis
Te, cuius formam prædicat ipsa Venus?
Castus es, & doctus: quid te auocat ergo Tubinga?
Cura Patris, feruens & Genitricis amor.
Audio. vade igitur: sed ne te substrahe Musis
Prorsus; ab his, famam quo tuearis, erit.

IOAN. RVCARDO V. CL.

MVltipedes mitto tibi, IANE Podagrice, cancros,
Pluribus vt valeas ire miser pedibus.

Epi-

Ἐπίχαρμα

LAVRENTIO SCHEVRLAEO,

summum in Theologiá gradum Iure meritoq; ab inclutá IVLIA consequuto.

Siue tuum Scheurlæe *genus, seu fertile sſecto*
Ingenium, & vitæ curriculum omne tuæ:
Materies nostris gratandi vberrima Musis
Nascitur: ô grauidæ laudis amœna seges!
Nam veterem Elysiá deducis origine gentem,
Cuius adhuc tabulas pulcra Budorgis *habet.*
Contigit vnde tibi nasci Patre, cuius honore
Incrementa tuus læta capessit honos.
Quo Patre nil melius quondam, nil doctius, artis
Cecropiæ inprimis cognitione, fuit.
Hoc solo poteras ter felix nomine dici:
Maior ab ingenio sed tibi vénit honos:
Cum tempestiuá propè te dignatus Ephebum
Laurenti *lauru doctus Apollo fuit.*
Cum ternâ posthac trieteride munus in aulis
Gessisti, informans de pietate rudes.
Deniq; Diua potens cum te delubra vocauit
In sua Saxonici IVLIA gemma soli.
Nunc vbi, quod plures præstant, tu perficis vnus
In geminâ Cathedrâ, pro geminoq; choro.

Pro

Pro quibus auspiciis, doctrináq; vbere summâ
Religio Lauru te pia, LAVRE, beat.
Vnde nouo tua Gens cumulata redinet honore,
Penè quaterdenis inclita Laurigeris.
Cui decus à genere, & Genitore, & Munere bino,
A taliq; DEA est; nonne beatus homo?

SEBALDO GEBHARDO

Incl. Senatui VVratisl. à Secretis, V. Præstantiss.

Si qua suo iactat meritò se Patria Ciue,
Iure ortu gaudet NAMSLA, Gebharde, *tuo.*

SEBAST. A SCHVVARTZ,

In Schlona & Furstenau, V. verè nobili.

Te nil candidius, nihil integriusq; Sebaste *est:*
Miror, dicaris quâ ratione Niger?

Ad Magdæburgam, DE GEBHAR. GOLDSTEIN,

Chiliani, Incc. PP. & Rrpp. Consiliarii Filio.

GOldsteni *acrẽ operam tibi qui conducere ſuaſit,*
Næ bonȝ, & ſapiens, Parthenope, *Autor erat.*
Nam, quibus inſtructum populi decet eſſe Magiſtrum,
Ille animo, arteȝ fide, iudicioȝ valet.

In Lauream
M. CHRIST. DONAVERI,
Superint. Ratisbon. V. doctiſſimi.

DOcta Donaueri *Lauro quòd tempora cingis*
Phœbe, Donaueri *carmine maior eris.*

IN BIBLIOTHECAM BVDISSInenſem, laudabili Senatus Liberalitate, & IOAN. SCHONBORNII Conſulis, & Scholarchæ auſpiciis inſtauratam.

SVnt *aliquid gemmæ, precioſáȝ munera terræ,*
Argenti atq; auri copia dulce decus.
Aſt hominis quanto potior Mens corpore; tantò
Eſt auro quædam Res preciosa magis.
Ecqua? Libellorum lecta & pellecta ſupellex,
Artibus hæc animis auget, alitq; bonis.
Hac ſine ſi vita eſt; non vita, ſed horrida mors eſt,
Atq; hominis viui funus, honore carens.
Aeternus igitur ſit conſecrata diebus
O tua, Schonborni, *fama, dicata DEO.*

Hic

Hic eſt Librorum quæ copia cunȝ bonorum,
Auſpiciis creſcet clara ſubinde tuis,
Aureoli verè tu fons es fluminis, & FONS
PVLCER: origo tui nominis omen habet.
Et creſcet tua laus hinc Budiſſine *Senatus,*
Aonii cumulas qui pia dona chori.
Veſtra quoȝ aternis ſcribentur nomina chartis,
Huic qui theſauro contribuiſtis opes.
Vota canet vobis effectu plena ſecundo
Muneribus gaudens veſtra Iuuenta nouis.
CHRISTE Magiſtrorum ſupreme Magiſter, honorũ
Inſtrumenta tui ſuffice recta, Libros.
Budiſſina tibi Schola ſit gratiſſimus Hortus,
Gerlachius *gnauâ quem bonus arte colit.*
Hinc tibi naſcantur plantæ, florumq; Manipli,
Plena olim ætherei ſtent quibus arua Soli.

VVENCES. OTTERO, SENATOri Svvidnicenſi. V. Prudentiſs. & inſigniter docto.

SI *quem nobilitat Virtus, OTTERE; tibi iam*
Dudum debetur Nobilitatis honos.

In elegantiſs. Muſas
M. RODVL. DIEPHOLT
doctiſs. Iuuenis.

SI cui digna placet Vati dare præmia, CAESAR;
DIEPHOLTI circum tempora Laurus eat.

PAX BELLVM.
E Menandro.

PAx etiam in saxù alit inuiolata Colonos:
At bella in campis noxia sunt mediis.

NVLLI BONVS, SIBI PESSIMVS.
Ad cariss. Patrem meum.

QVæris, Pater, quis maxumè sibi damno
Sit, maxumèq; aliis, velut lues quædam?
Is esse mî videtur ille (nec fallor)
Dominandi atroci libidine qui incensus
Odia omnium in se concitat, nec aduertit,
Quam texat is telam sibi periclorum:
Foriùq; cùm petitur cadente telorum
Velut imbre quodam, non retorquet acrem vim;
Sed mussat impos Consilî, salutisq;
Famæq; negligens suæ, domi mauult
Miscere summis ima, neminî parcens,
Versutus, arrogans, dolosus, effrenis,
Mendaciorumq; Architectus insignis,
Vitæ huius hibrida, imò semilatrina:

Vicinus

Vicinus ille qualis hei fuit noster,
Quem mortuum nemo, superstitem cuncti
Luxere. quid videtur ô tibi care
Parens? an explanata res, quis ille effrons,
Videlicet qui nemini bonus, verùm
Sit pessimus sibi? facessat ô monstrum!

VITIVM ODI, NON HOMINEM.

CVr Melicos odi, si non mihi displicet ipsa
Musica? cur sordent bella, placente viro?
Odi non hominem: vitium odi, exemplaq; morum
Praua mihi satis est nosse, nec illa sequi.

Sol, Luna, & Dama, IOANNIS MOTHI Flensburg. Insignia.

ARdua Parnasi Saltu *pete*, Iane, *secundo,*
Vt Patriæ niteas. hoc tua signa monent.

ANDR. RASSELIO Musico Ratisbon. insigni, Amico veteri.

NOn ego, RASSELI, tua letho nomina triui:
Viuis adhuc nostro in pectore, viuit amor.

ALAE ET FRONDES, FINXIORVM Spectatæ in Repub. Lunæb. familiæ Insignia. Ad Petrum Finx, Ornatiss. Iuuenem. Med. Cand.

SVnt Alæ, *sunt &* Frondes *Insignia Gentis*
Virtutisq; tuæ. vis Laurum? at fortiter alis
Nitere tu paribus FINXI, & tete effer in altum,
Quà iuga Parnasi florent; ibi Laurus, & aurum.

D. IOHAN. HEIDENREICH, THEOlogo præstantiss Affini meo, magnificum Prorectoris Munus in illustri IVLIA suscipienti.

PVrpureo rursum en hedera *obuelatur amictu!*
Omen Di pulcro nomini inesse velint
O Hederice *tuo: nam te numero eligit omni*
Nunc, quo stat magno IVLIAS alma DVCE.
Et non grater ego tibi? ego, cui primus amicas
Tu Puero ad Musas Ductor, & Autor eras?
Cui post Affinem te fecit Auunculus, & iam
Quem tibi Collegam fata dedere bonum.
Ergo age, quod triplici tibi debeo nomine, id vnâ
Soluere nunc operâ fas, Hederice, *mihi est.*
Sis felix. dextráq; tuâ stet IVLIVM, & ingens
Tranquillè in patriis finibus ELMVS agat.
Accola quod Balthes, Saxo quod prædicet albus.
Et patriis Ciuis plaudat in Elysiis.

IN AVLAM.

AVLA vale: satis es largita, satisq; negasti:
Cara mihi satis es: nec satu: Aula vale.
Renunciabam illi, Anno 1501.

FINIS LIB. V. MISCELLANEORVM.

SALO-

SALO. FRENCELII
Miscellaneorum Epigrammatum LIBER SEXTVS.

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, CHRISTOP. PELARGO Sil. Theologo, Philosopho, Poëtæ, & Oratori præstantissimo, Generali Marchiæ Superintendenti, & Acad. Francoford. Professori primo, Commilitoni meo veteri, & Affini vnicè caro,

SALOM. FRENCELIVS S. P. Dico.

SVpererat Sextus hic Libellus Miscellorum, quem cum & ipsum autoritate munitum, alienaq; luce nitidiorem cuperem; tu PELARGE in longo catalogo vnus occurrebas. Si enim quisquam est, qui tum vtrumq; hoc mihi præstare possit, tum summam iam dudum

beneuolentiam ſummo ſtudio mihi probauit, tu es profectò. Nam vt de priori ſolùm ex animo, hoc eſt, ex re ipſâ dicam (poſterius enim alio loco, alioq; tempore commemorandum erit) quantam nominis celebritatem intra annos non adeo multos, in hoc primo ætatis tuæ virilis flore (qui vtinam ſit diuturnus!) virtute & multiplici doctrinâ tibi comparaſti,

Quà ſua de cælo proſpicit arua Ceres.
Quaq; patent ortus, & quà fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Nec ſanè mirum. quæ enim antiquiſſimorum Scriptorum Opera non euoluiſti, vt nihil tam ſit arduum, nihil tam abſtruſum, nihil tam difficile, quod non præcoci ingenio & feliciter, & velociter aſſequaris, in quo tibi Muſæ non promtiſſimè pareant? Etenim veniat in diſceptationem grauiſſimum aliquod diuinorũ Oraculorum caput, quis te ad fontes inueſtigandos, & veritatem explanandam excitatior? occurrat quidpiam ſiue Oratione ſolutâ, ſiue numeris adſtrictâ, vel habraicâ linguâ, vel quacunq; huic affini, vel græcâ, vel latinâ, vel etiam vernaculâ de omni Re commemorandum; quis te expeditior? quis ingenioſior? quis

quis diſertior? quis elegantior? quis denique copioſior? Baſilica fortaſſe facinora loqui me, vociferabitur Inuidia. ab hac enim ne te quidem etiam tutum eſſe, non ignoro; tantò & verò feliciorem, & conſummatiorem, aſſeuero. At ſunt in medio diuini ingenii tui monumenta, in omni diſciplinarũ genere exquiſitiſſima, quibus duorum ſapientum S. Imperii Septemuirorum, tum literatorum quorumcunq; Principum, doctiſſimorumq; Virorum omnium beneuolentiam tibi conciliaſti: quibus in dies Chriſtiana Religio amplificatur; Sileſia illuſtratur, Patria noſtra dulciſſima; Academia tua nobilitatur; Marchia excolitur; adeoq; omnis Germania exornatur: quibus denique inclareſcet, & felix erit Reſpub. in quacunq; conſenueris. Hæc nõ ideo de te prædico, vt palpum tibi obtrudam: id enim non habeo neceſſe: & tu adeo non expetis, vt ſciam, hanc Epiſtolam (quæ tua eſt verecundia, & ſingularis modeſtia) ruborem tibi incuſſuram: ſed vt demonſtrem, quod paullò antè dixi; Libello huic Sexto ex clariſſimo nomine tuo plurimum autoritatis atq; præſidii, contra inflatos Suffenos, acceſſurum, omneſq; maculas, ſiue tenebras Muſarum

nearum sub luce tuâ latituras. quanquam & absq; hoc nullum iustius est officium, quàm cum ipsis literis Virtutis laudem, eorumq; memoriam posteritati consecrare, qui propter DEI gloriam, & Reipub. salutem pub. bonarum artium studia accendunt. Sed & paucas has pagellas nominis tui auspicio proferre volui, vt animum tui memorem aliquo modo indicarem, nostramq; Amicitiam Scholasticâ consuetudine primùm initam, Affinitate deinde auctam, communique vitæ munere hactenus exultam, aliis etiam testatam facerem. Χενίων θυμὸς ἀριστος. cauc igitur, Vir optime, & doctissime, hocce Munusculum, siue μικροτιμον qualecumq; fastidias. equidem scis, ex quo loco grauiora tibi à me sint exspectanda. & sanè, vt sementem porrò feceris, ita metes. Vale quàm diutissimè, Ocelle nostræ familiæ.

Ex IVLIA Cal. Ian. Anno sal. nostræ M.D.XCIX. quo prosperrimè vtaris, etiam atq; etiam opto.

LIBER

LIBER SEXTVS.

Miscellaneorum.

AD MAXIMILIANVM, SERENissimum Archiducem Austriæ &c. Designatum Christiani Exercitus Ducem, Aduersus Turcas Musulmanos.

MAXMILIANE tibi dat se Respub. CHRISTI:
Decerni poterat qui tibi maior honos,
Et quod maius Onus? res seriâ, gloria Christi
Hîc agitur. iam scis, quæ Duce digna fides?

Ineruditum & grauissimum Commentarium DE PRINCIPE, SIVE DE officio Magistratus.

Autore Excellentissimo Germaniæ Principe, HENRICO IVLIO, D.B.&L.

QVæ vis, ô Sathanæ monstrosa Calumnia proles,
Audiri à cunctis, etiam nunc auribus hauri
Ambabus, vel si plures tibi fecit abortus
Natura, queîs fœda tua mendacia linguæ

Elogiis.

Elogiis, famá minimè fallace refutet
Teste, doli ignaro Virtus contermina cœlo.
O natum Imperio caput! ô Spes vltima rerum!
O solum antiquo Sydus quod defuit æuo,
Aurea præsentis vana, aspersura futuro
Lumen, & æternum decus! ô fiducia Martis,
Phœbi ô rarus honos, fulcrum, solamen, Asylum,
Deliciæ humani generis, flos heroumq;,
Viue diu nobis HENRICE fidelis IVLI.
Audisti? at calido palpum ore, Calumnia, dices:
Ergo age, diuinus modò quem de Principe *Princeps*
Marte atque arte suâ congestum emittit in auras
(Ah vbinam exemplum par?) volue, reuolue Volumen.
Dixeris inuita: obstupeo. quæ hîc lactea culti
Flumina sermonis? vocum quæ copia? rerum
Maiestas quæ dia? artis quæ mira repostæ
Vbertas? vnde hi flores? vnde aurea vitæ
Præcepta, heroum celso quæ Munere digna?
Hæc dices inuita; sed addet candida Virtus:
Quod scripsit, facit; & quod fecit, scripsit abundè,
Magna volens, voluens maiora, & maxima præstans
GVELFIADES. os & tandemne, Calumnia, frenas?

AD

AD EVNDEM

Aduersus ambitiosissimos hostes, barbaricá & inaudita crudelitate in fines Germaniæ sæuientes, defendendi non offendendi caussá arma iusta induentem.

Emissæ ex Erebo furiæ, ipso Dæmone peior
Gens furit in nostris finibus: astra tremunt
Aspectu scelerum, Sol pallet, Luna nigrescit,
Cuncta Elementa horrent, nec modus est lacrimis.
Tu tot inauditas cædes, HENRICE, tot artes
Torquendi, & stupra immania ferre nequis.
Te audes contra, veteri exstimulante LEONE,
Cuius vim nondum nouit Iberus atrox.
Nouerit at posthac, irato vindice IOVA,
Cuius caussa tua est, cuius honorq; tuus.
Macte Heros! non vlla tuum deleuerit ætas
Hoc facinus, Pietas te quod obire iubet.
Christe, tuere DVCEM, tua cui Respublica cordi est:
Aut cedant furiæ, aut Victor iò hic redeat.
CHRISTE, tui miserere gregis, nec respice culpam:
Cocta diu quæ sunt, dissice: Caussa tua est.

AD AVGVSTVM D. B. & L. fortissimum Principem, aduersus Turcam militantem.

Viuat

VIuat in augustos AVGVSTVS fortis honores;
AVGVSTI quæ sit dextera, Turca sciat.

Generosissimo Baroni,
CAROLO à ZEROTIN,
Namæstii Domino &c.

QValis gemma nouo preciosa coruscat in auro,
Perstringens radiis obuia quæq; suis:
Sic tua se virtus omnes diffundit in oras
CAROLE; sic fulget nomen vbiq; tuum.
Læta per antiquæ splendet sic Gloria Gentis,
Quæ vulgare nihil, vel mediocre tulit.
Annulus inuicti Morauûm *cultissima tellus*
CAESARIS est, in quo Carole *magne micas.*
Nam coniuncta geris quæ non sunt pluribus, vnus
Ornamenta animi nobiliora boni.
His orbem implesti radiis fulgentibus: his est
Gratia Semideûm conciliata tibi.
O longùm niteas, Heros; nec te aspera lædat
Aura, DEO care ô CAROLE, care Bonis.

In Emblema Magnifici nobilissimiq;
Domini,
GVLIELMI ab INHAVSEN, ET
Kniphausen, cum Inscriptione:
HOC VIRTVTIS AMOR.

VNo Animal cornu bellax capit ecce quietem
In casto Nymphæ gremio, nec acuta venena
Serpentum à tergo metuit, nec sibila curat,
Nec quicquid fraudis, nec quicquid vbiq; pericli est
At quænam esse potest mitis cum Virgine tantæ
Consuetudo Feræ? quæ gratia? quis bonus ardor?
Hoc Virtutis Amor *suadet, formidinis expers:*
Hoc iubet, hoc vrget quouis preciosior auro
Libertas, fructus cœlesti ex arbore carpens,
Aurea mala, malis contraria, plena salutis.
O Virtutis amor quantorum es caussa Bonorum!

AD EVNDEM
De Reditu Filiorum ex Galliis.

EN Natos, Simulacra tuæ Virtutis & oris,
Incolumes reddit IOVA, Guilelme, *tibi.*
Ah nunc quanta tuam pertentant gaudia mentem
At Nati peragrent, quod gradiuntur iter:
(Hoc Virtutis Amor *iubet*) *& maiora capesses*
Gaudia tum demum: tum tibi Messis erit.
Viue Pater Sobolis formosæ: viuite Nati,
Quo nil candidius, nobiliusq;, Patris.

Ad Magnif. Virum.

ANDRAEAM HANIVVALD, CAEsaris Consiliarium, in meo prandio.

QVem DEVS huc traxit, quem Cæsar & ipse vocauit,
Cæsaris aula probat, prouehit, ornat, amat,
Viuat HANIVVALDVS, Socero & Patre dignus eo-
Viuat, & æternum sit decus Imperii. (dem!

IOACHIMO à BROIZEM, AMplis. Reipub. Brunouicensis Syndico, IC^to excell^mo.

QVò te nobilioribus Minerua
Donis ingenii beauit ueris,
BROIZEMI, eniteas vt instar astri
Inter purpureos Patres Themistos;
Hòc magis doleo, & fero molestè,
Quòd casus nimiùm periculosus
Hei grauem artubus intulit tuis vim,
Intensiq, truces doloris ictus.
Quid feram auxilii impotens Amico?
Illam & hos DEus arceat precabor,
Tibi & sospite det frui Senectâ
Longùm, vt nobilibus, fauente IOVA,
Donis Ingenii fruare longùm.

Stella,

Stella

DAVIDIS HILCHEN, Secretarii Regii, & Synd. Rigensis amplissimi.

NOcti quod Hesperus, diei Lucifer
Quod est nitens, HILCHENIVS POLONIAE
Hoc REGIS est AVLAE, suæ hoc est Patriæ,
Maioribus suis, suis Nepotibus,
Hoc est (probatq, fama) Amicis omnibus,
Seu splendeat fortuna, seu sit nubila.
Et quis roget, quo iure Stellam *in fulgidis*
Latè nitentem ostentet hic Insignibus?

HYPOCRITA CVIVSMODI Animal.

SVb sole, vin' edisseram verbis tribus,
Quæ Bestia omnium sit atrociss ima?
Hac nempe Dæmon quispiam incarnatus est.
Larvæ quid hoc? Monstri quid hoc? Hypocrita.

Generosissimo Principi,

MAVRICIO HASSIAE LANDGRAVIO, aduersus vim hostilem se armanti.

MAVRICI, Phœbus cedat paullùm, & tibi præstò
Sit Mars, hic etiam, quod celebremus, erit.
Defendenda Patri soboles est. Ara, focusq;
Quid moneo? HESSORVM nonne probata fides?

Illustriss. Heroi,
IOANNI SAMOSCIO,
Magno incli. Pol. Regni Cancellario, summoq; Exercituum Duci.
DE ACADEMIAE SAMOSCIANAE fundatione.

SCilicet in Patriam meritis, rebusq; SAMOSCI
Gestis, magne, tuis hoc vnum deërat, vt intra
Sarmatiæ fines, tuaq; Arua, & mœnia, sumtu
Auspiciisq; tuis ACADEMIA surgeret, ingens
Ex te nomen habens, seclisq; habitura futuris!
Non facinus poteras augustius edere mundo,
Non Patriæ vtilius, non te sublimiùs astra
Ferre super. macte ô Heros! sua gloria Marti est,
Et sua laus Phœbo, sed quò exoptatior illo
Hic est, Posteritas tantò plus debet amori
Grata tuo; tantò es te maior factus, eriq;
Te maior fuerit Musis dum vita, SAMOSCI.

Gene-

Generoso & ill. Baroni,
Dom. EHRENFRID à MINCVVIZ,
S. Cæs. Matis. Consiliario, & Legato.

QValis erat, Mincvvizi, *omnes Legatus in oras*
CASPAR sacrati CAESARIS
Germanus tuus ille, hominum Diuûmq; Voluptas:
Tu talis, & felicior.
Danus id, & Suecus cum Moscho nouit, & omnis
Cum Sarmatâ Gens Teutonum.
Viue Ehrnfride *diu; & flore, & te digna capesse, &*
Mincvvizium *da tertium.*

Honori & Meritis
IOANNIS MVLNERI
à Muhlhausen. S. Cæs. Regiæq; Matis Consiliarii. Ad inclitum BOEMIAE Regnum, cui ille à Secretis.

CÆsar diu viuat RODVLPHVS, vt mores
Nunc sunt, & vt sunt tempora, omnis exclamet
Germania: inprimisq; Tu Boemorum
O ampliata & expolita Gens mirè,
Hoc Cæsare, hac indesinenter ad cælum
Emitte vota, namq; scis, quid intra te
Iam bulliat diu. deinde suspira,

Fideliores vt ſuperſtites Regni
Symphradmones, Patriæ quib. ſalus curæ
Cordiq; maxumè eſt, tibi diu ſeruet
IEHOVA: tantò & inter hos magis florem,
Solamen & tuum, decusq; MVLNERVM,
Quem vera virtus, & recondita ſplendor
Muſæus eruditionis in lucem
Euexit altam, & euehet magis: quantò
Maiore ſuſtinet fide ſuum munus;
Quantoq; acutiore perpetim curâ, &
Hydrâ laborum grandiore, dilectâ
Pro Patriâ, (verè boni quod eſt Ciuis)
Se conficit, velutq; lumen abſumit.

Generoſo & Magnifico V. Dom. GEOR. CHISEL, &c. hæreditario Comitatus Goriziani Dapifero, Conſil. Arch. Auſtriæ, præclarè de me merito.

Fili optime optimi Patrũ,
Decus GEORGI nobile
CHISELIDVM, Flos Patriæ,
Nouemq; Aſylum Virginum:
Exiſtimaſne, ceperit
Meriti pudenda obliuio
Quòd

Quòd me tui tam ſplendidi,
Et muneris mei? nihil
Minùs, CHISELI nobilis.
In corde, in ore, in intimis
Geſtatus es mî ſenſibus,
Geſtaris, & geſtaberis,
Dum me fouebit Spiritus.
Quid multa? ſors quod hactenus
Inuidit infidelior,
Spem præter omnem Gratiis
Teſtabor inſtigantibus
(Te ſeruet interim, meæ
Deus Mentis qui conſcius)
Re luculentâ; frigidis
Promitto quod nunc Iambicis.

IOANNI GEORGIO A VVERDENSTEIN, Eichſtadii, & Auguſtæ Canonico, Ill. PP. Conſiliario, Gemmæ Nobilitatis.

Scribis, ex acri reuocaſſe morbo
Te pedem, optatæ DVCE ſanitatis
Vnico, per quem ſumus, & mouemur,
Magne GEORGI.
O mihi multis repetenda votis

Gaudii talis Ratio, GEORGI!
Tu tuæ Gentis decus, & Voluptas,
Quá patet Orbis.
Tu Cor heroum, tibi tuq; Phœbus,
Optimorum tu Speculum Virorum.
Ergo te nobis geniale seruet
Nestoris æuum.

Magnifico nobilissimoq; V.
FRIDERICO à RAZBAR
Designato Ducatus Silesiæ Carnouiensis Præsidi.

MAgnum munus obis, magno pro Principe: nemo
Miretur: magno munere dignus eras.
Dignus eras: etsi non magnus corpore; magnus
Attamen Ingenti vi, FRIDERICE, tui.

Honori & merito
THOMAE A KNESEBECK,
Consil. Elector. Brandeb. literatiss. Marchiæ Eq.

PHœnicem dixi Knosebecum. *ignoscite (verum*
Dixi) vos alii. laus sua quemq; manet.

LEVINO à BORSTEL,
Eq. Marchico Literatæ Nobilitatis Lumini.

IAm pridem incalui: vlos Gentis Honosq; LEVINE,
Totus amore tui, quam illum huc vsq; tacerem.
Nimirum audieram, lotum te Phocidos vndá

Præclaro per se generi inuectare decoris
Plus doctrinarum luce, & radiantibus armis
AEgisonæ, Marti quæ non ingloria, Diuæ.
Et meritò incalui: quando hæc ex Ordine paucos
Cura tuo inuadit: seruilis opinio plures
Fascinat, indignam MAIORVM nomine, & armis,
Et cerá, & tabulis tetricæ spissam esse Lucernam.
Palladis, hinc quorum melior sententia menti est,
Maiori dignos censemus honore colendos.
Namq; vt ab indomito differt Equus arte domatus;
Ille, quod haud vllos adiungi possit ad vsus,
Possit hic ad cunctos: tanto discrimine distant
Insipiens Musarum Osor, sapiens & Amator.
Iure igitur florem Gentis te dicimus aureûm:
Iure, LEVINE, tui maiore incendor amore,
Hæ tenues nullá quem Musæ ætate tacebunt.
Te modò ne clarii captant fastidia templi:
Nec capiant Prolem, si quam pia Numina seruant;
Præbeat vt seclis nimirum exempla futuris
Atq; Sago, atq; Togá felix BORSTELIA Virtus

MELCHIORI à SENIZ,
In Rudelsdorff &c. Eq. Sil. Ill^mi Ducis Ligniciobrigensis Consiliario literatissimo, & ad præclara omnia gerenda nato.

QVò tendas, video. sic Nobilitatis auitæ
Diua Parens Virtus serpere nescit humi.
Vix Patriam attigeras, quando explorata facultas
Principis adiunxit te tua Consiliis.
Fallor? an occultè Calami ius cauta supremum
Iam tibi, vel plenas credidit Aula vices?
Quò tendas, video: nec erit te dignior alter:
Nam melius, MELIOR, te nihil Aula fouet.

Viro verè nobili,
LVCAE LANGENMANTEL
à Sparren, Amico veteri.

ERgo tuos, LVCA, Maiores, antè Sagatos,
Quorum facta canit IOVIVS, nomenq; recenset,
Inuictâ dici meruit virtute Togatos
Vnus stirpe tuâ cretus, quem celsa animi vis
Romanas Aquilas quondam, atq; animosa coëgit
Castra sequi: cuius sic acclamauit honori
Minciades *Monachus, Vatum decus immortale:*
Pone *SAGVM: ciuile TOGAE decus indue LONGAE.*
Luca, Maiorum flos illibate tuorum,
Me Vatem esse tuum patere, & ne nominis Omen
Despice: Semideis toga candida destinat æuum
Omne tuum. *Euentus (verè auguror!) ista probabit,*
Aut non Virtuti supereſt locus amplius vsquam.

Ad eun-

Ad Eundem, non multò post Generosissimi Principis
FRIDERICI-VLRICI,
HENRICI-IVLII
Filij primogeniti, Brun. & Lunæb. Ducis hæredis EPHORVM constitutum,

QVid audio, LVCA? tuæne maximus
Custodiæ, fideiq; solertissimæ
Commisit HENRICVS Dynasta IVLIVS
Primum tori pignus, nihil quo carius
Habet, nihil suauiusq;, Filium,
Gratum DEO, Virtutis, & tot Gentium
Heredem? ita est. ergone dices Augurem,
Amice, me vanum, recentis admodum
Cognomine ex tuo memor præsagii?
I nunc, & esse vatibus Numen nega,
Quisquis sacrum calumniaris Ordinem.
LVCA, tibi iam pandit ostium potens
Diua Antii. sed heus (monebo candidè,
Nostrâ vetustâ pro Necessitudine)
Qualem educabis Principem, tot Gentibus
Talem dabis, talemq; sistes arduum
Termaximi Tribunal ante Iudicis.

IOAN. SIGISMVNDO A KIRCHBERG,
Eq. Austriæ lectissimo.

CVratur ſpe ſpes, inquis Sigemunde. *quid hoc eſt?*
Nempe tua tu Generis ſpemq; decusq; foues.

ANTONIO à PVSCH,
In Gellendorff, & Reſchvviz, Eq. Sil. Viro generis & literarum ſplendore præſtantiſſimo.

NEc mihi tu, *quamuis ignoto, indictus abibis*
ANTONI: Patriæ tu quoq; dulce decus.
Nam, qui Maiorum Virtute, *atq;* arte *tuentur*
Splendorem, pars es non reticenda Virûm.
Vendicat hanc melior laudem tibi fama perennem,
Dignos luce viros quæ vetat vna mori.
Hac quoq; ſi taceat (ſed nulla ætate tacebit)
Pro teſte innumero RHEDIGER vnus erit.
Ille mihi quondam: de nobiliore metallo
PVSCHIVS Elyſios promicat inter agros.

VVENCESLAO HVND
Ab Altengrotgavv. in Rauſau, Eq. Sil. pernobili ingenio Iuueni.

ACANE *nomen habet cur,* VVencenſlae, *ſagaci*
Gens tua? Virtutis nempe ea tota ſagax.

In Scitum & Inſignia
IOANNIS IAGEMAN,
in Hardegſen & Gotingen, Cancel. Brunſ.

Inuia

INuia Virtuti nulla eſt via: *ſemper in ore*
Iagmanno *eſt: nec rem præter, nec nobile nomen.*
Namq; pedem aduertit tandem, direxerat illum
Quò lætis primùm auſpiciis, fruſtra obluctante
Inuidia, &, quamcunq; trahit ſecum illa, phalange
Inſidi generis: fruſtra aduerſantibus Auſtris,
Et pelagi monſtris, tempeſtatumq; procellis.
Quin imò terraq; mariq; affulſit eunti
Stella *fauens votis, vt dextrum, præuia Virtus*
Quà monſtrabat iter, laudum ſpe tenderet altâ,
Atq; Solo, atque ſalo (tanti alma Scientia conſtat!)
Venaretur *Honeſtatem, ſociasque Sorores,*
Et Themin, & quicquid dignum Sapiente Bonoq; eſt;
Impleretque ſinus, DVCE fortunante, ſecundos,
Ac ſperata diu legeret pleno oſtia velo.

Queis ipſa exultans Virtus ſucceſſibus, acrem
Naturam vt donis incenderet vſque, capeſſe
Auſis digna tuis Inſignia (dixit) honorum
IAGMANNE. hinc animi pignus Diadema *ſupremũ:*
Hinc Galeæ *inſignis* Criſtæ, *geſtamina Martis,*
Et ſimul armigeræ valida Inſtrumenta Mineruæ:
Hinc celeris, Via nulla cui fuit inuia, *Nauis*
Anchora, *quæ feſſos optato littore Nautas*
Siſtit, & hinc firmans venatrix Buccina *Nomen,*
Magnum eadem lætis firmans ſucceſſibus Onen:
Hinc Stella, *Ingenii & Famæ nitidiſſima lampas.*

De

De V. nobiliſs. doctiſs. & πλειστωπάτῳ,

OTTONE AB HOYM,

Eq. Sax. primario DVC. Brunſ. Conſiliario, Aulæq; Ornamento inſigni.

SI quis Virtute, & doctrinâ eſt nobilis, OTTO eſt
HOIMIVS, vt generis nobilitate nitet.
Ergo reuiſe Senem, nec deſere prorſus Hygîa:
Dignus, quem Senium Neſtoris ornet, hic eſt.

Nob. ampliſſimoq; Viro.

IOANNI ab VSLER IC.

Duc. Brunſ. Conſiliario.

SAncta, VSLERE, Dices Myſta ô clariſſime, rebus
Quem pius arcanis DVX adhibere ſolet:
Me mea nunc aliò, nil vnquam tale putantem,
Sorti (vt ſpero) meæ fata benigna vocant.
Ergo vale; & meritis de me præconia multis
Digna tuis poſthac polliceare tibi.
Non ego pollicitis deero: (modò vita ſuperſit)
Tu mihi materies, tu mihi carmen eris.

NICOL. REVSNERO IC. SIL.

Acad. Ienenſis Anteceſſori, Conſil. Sax. viro omni doctrinarum genere excell^mo. De Palatiná dignitate.

Poſtquam

POſtquam per titulos, gradusq; cunctos,
Te Virtus, fauor, & labor ſeuerus
In Aulis Academiisq; paſsim
Duxerunt, præeuntibus Camœnis,
Et faſtigia nulla dignitatum
Præcluſit tibi glorioſa Clio;
Iamq; te minimè, diſerte Vates,
Vltra tendere poſſe, ſuſpicatum eſt;
Ecce te, Procerum annuente cœtu,
Auguſti Comitem facit Palatî,
Indultisq; ſimul beat peramplis
CAESAR maximus, idem amans honoris,
Mi REVSNERE, mei, latentis intra
Cancellos penetralium implicatos
Et non Elyſiorum *amœna tellus*
Tali gaudeat vndiquaq; Ciue?

BASILIO SATLERO

Aulæ Brunſuicenſ. Doctori Theologo præſtantiſs. Ducatuum Brunſuic. generali Superattendenti.

CErnis, vt irrumpat fatorum immota poteſtas!
Nunc, BASILI, monitis, nunc opus eſt precibus.

HERMAN.

HERMANNO Von der Becke/ Sac. Cæs. Palatii Comiti, R^morum. & Ill^morum PP. Archiepiscopi Brem. Hols. & Sax. Ducum Consiliario, & perpetuo ad Cæsarem Legato, Viro nobili, optimo, & præstantissimo.

HErmannum quicunq; putant in Saxonis orâ
Esse domi, ab errant. Cæsaris Aula Domus
Tuta frequensq; illi est. adiit hanc sæpiùs, annos
Quam quot Cæsar, in hoc turbine, sceptra gerit.
Hoc vis Iudicii, cultiq; hoc pectoris artes
Efficiunt, quarum duxq; caputq; FIDES.
Hùs ille AVGVSTI sibi conciliauit amorem,
His Procerum, hisque suo consulit ille DVCI.
Salue, HERMANNE, mei pars pectoris optima, salue:
Vt tandemque domi sis, pete Regna DEI.

AD EVNDEM.

HERMANNE candidissime,
Decreuimus suauissimè
Cœnare tecum hoc vespere
Nos tres, ligati fœdere.
Non hauriemus pocula,
Sed mutui commercia
Sermonis optatissima,
Quæ sunt voluptas vnica.
Per nos bibes, quantum placet,
Loqueris, & quantum vacat;
Ridebis, & quantum libet;
Sedebis, & quantum licet.

HENRICO PETRAEO, IC^to. Philosopho, & Poëtæ insigni, DVC. Brunsuic. Consiliario.

MAgni Saxoniæ Ducis, Dynastæ
Magni, Guelfiadûm *nitentis astri*
Consultor, decus Eruditiorum,
Collegas tibi quos Themistos arduûm
Diuinæ Solium, PETRAEE, innxit;
Seu tu Pierios reuisis hortos,
Et septemgeminas retexis artes,
Illudque enucleas Sophos profundum;
Seu legum studio seueriore
Incumbens, sine amore res, sine irâ
Pensas in rigido fori recessu;
Apparet vigor indolis repostæ,
Vt vulgare nihil sit, aut ineptum,
Quodcunque adgrederis potente nisu.
Sic, multis dare quod Minerua sueuit,
Numine vnus habes fruente summo.

Damnan-

Damnandæ sceleris proinde diri
Parcæ essent nimis ô nimis rapaces,
Hoc si Tisiphones furentis æstu
AEtatis tibi fluctuantis annos
Truncassent manibus feris. sed ecce
Adhuc nobile demoraris æuum!
Me quoq; è patriis reduxit agris
Fatum mitius huc malè haud valentem.
Quàm nunc mî satis hoc, Petræe, dulci
Pectus lætitiâ, quòd illa nequam
In te nil habuit Tyranna iuris!
Diis sit gratia, teq; deinde seruent.

VVERNHERO KONING,
IC^to. præstantissimo, DVC. BRVNS. Consiliario. Viro optimo, & doctissimo.

VNde tibi Regis, quo iure tuebere, nomen?
VVERNHERE solertissime, an quid ominis
Subest? quid? imò plurimum.
Qui tantum Aonis est consectatus in hortis,
Vt Flamen Astræa sit ornatissimus;
Senator vt sit maximi
Principis: ipse suis qui affectibus imperat, atrîs
Secretus à vulgi furentis fecibus:
Hic regnat inter cæteros:

Huic

Huic Coniux Regina fidem dedit inclita Virtus,
Hinc omnibus Regnum Bonis: hinc tuâ
VVERNERE Rex es in domo.

Amplis. excellentissimoq; Viro, HILTEBRANDO GISELER RHVMAN IC^to. Duc. Brunf. Consiliario.

DIua Sacerdotem te Astræa, Henricus Iulius
Solii Senatorem sui;
Iagmannus *Generum legit; Fortunâ Clientem*
Secunda dilectissimum.
Quis te Gallinæ, RHVMANNE ô amabilis, albæ
Negabit esse Filium?

Virtuti & Honori ALBERTI CLAMPII
ICti excell^mi. Viri vndiquaque doctissimi, Duc. Brunf. Consiliarii.

FOrtunata quidem nimis es BREMA, Vrbiũ Ocelle,
Opum affluentiâ, marisq; munere.
Felicitatis at tibi
Et lucis. (*liceat, quod Res est*, Brema, *fateri*)
Accedit hercle non parum ex Natalibus
ALBERTI honestis CLAMPII.
Namq; hic vnus habet, quæ vix diuisa capessunt
Plures, sacræ fauore, & indulgentiâ,
Collecta dona, Palladis.

Illi omnes Natura sinus reserauit, & omnes
Regina Vitæ infudit artes optimas
SOPHIA. hei Sophistis noxia.
Illi Cecropii salus Arpinatis abundè
Et mellis est: illi in labris, & pectore
Arguta Peitho sessitat,
Nectareos promens de re quacunq; lepores,
Nectenda seu venit metris Oratio,
Soluta siue legibus.
Quos grauis audiret si TVLLIVS, exultaret:
Suumq; VARRO sanguinem & succum stupens
Superesse in illo cerneret.
Preq; his vix doctus Venereisq; salesq; Catullus
Nosset suas: diuinus erubesceret
IVLIVS VIR SCALIGER.
Quid? quòd in intima processit Sacraria sanctæ
Themidos gradu impigro, ineitato, & arduo,
Vt in Senatu IVLIAE
Iuridico varias longè lateq; per oras
Diuiserit Decreta sciscitantibus,
Et nunc DVCI det GVELFICO
In media Responsa foro, det idonea vota.
Hunc BREMA tu nobis dedisti Clampium,
Rarum dedisti Clampium.
Acceptus Patriæ vatum nemo, illud IESV
An occinam tibi? non occinam: cata es,
Prudensq; amansq; Clampii: Cum

Cum famam impendat tibi, cum sit Adorea laudis
Ingens tuæ. nec nos dicauit Patriæ
Omnes; nec vno vult loco
Omnes esse DEVS. fatorum mira potestas!
Foris tibi splendet, domiq; CLAMPIVS,
O BREMA, Lumen Vrbium.

DE EIVSDEM

Ex IVLIA in Aulam Brunsuicensem, accitu potentissimi P. HENRICI IVLII, D. B. & L. acerrimi Ingeniorum Censoris, commigratione.

CLAMPIVS, accitu sapientis Principis, Aulam,
Aonidum linquens Iulia tecta, petit.
IVLIA quid pallet? quid GVELPHIDOS Aula coru-
Amisit lumen illa; sed ista capit. (scat?

In Rosas & Alas Aquilinas; LAVRENTII SCHOLZII, Nobilissimi V. Vratislauiensium Medici Insignia.

ET decori florum generi est, & spirat odorem
Persuauem, & præstat commoda mille ROSA.
At eodor, & decus in Patriam proficiscitur; à te
Qui manare negat commoda, cuncta negat.
Nam quæ Virtutum doctrinarumq; venustas
In vitâ, & Scriptis spirat vbiq; tuis?

Quàm te digna ROSA est! Virtutis & altera, & Artù
Altera te, SCHOLZI nobilis, ALA vehit!

PETRO ALBINO NIVIMONTIO
Electori Sax. à Secretis, Poëtæ & Historico eximio.

ET meritò ALBINI tu gaudes nomine! nam quid
Purius est Musis, candidiusq; tuis?

Nobili amplissimoq; Viro,
IOANNI SMIDIO
Patricio VVratisl. Ill^mi Ducis Ligniciobregensis Consiliario.

ET te, Patricio prognate Parente, Budorgis
Lumine, mi SMIDI, fructus honosq; manet.
Nam sua DVX Patriæ IOACHIMVS gloria tecum
Diuidit haud vanis consilia auspiciis.
O felix, Patriæ qui rectè consulit, etsi
Præmia pro meritis pessima sæpe cadunt.

CL. doctissimoq; V.
FRANCISCO PARCOVIO,
Ill^morum Duc. Brunsv. Medico felicissimo.
Collegæ meo.

GVelfiaci, commissa salus tibi Principis, & sic
Commissa est Patriæ totius vna salus.
Quæ grauior, FRANCISCE, potest incumbere cura,
Decernig; simul quis tibi maior honos?

Aduer-

Aduertisne autem, seros ad luminis ignes
Vt vigilet, quantas perficiatq; operas,
Solus vt expediat summa admirabilis Heros
Omnia? tantò igitur tu magis aduigila,
Sospes vt huic seclo longæuâ ætate superstit:
Dic: caret alternâ quòd requie, fragile est.
Nec nutus. Franciscе, *time quandoq; seueros:*
Talem nam segetem non feret omnis ager.
Dixi. te penes est solum hæc Industria: namq;
Insignem multâ reddidit arte DEVS.
Hinc meritò Diuûm custodis corpora: salui
Ergo vt sint illi, tu quoq; viue, vale.

Excellenti Viro
IOACHIMO DELIO
AEgrotanti Salutem.

DELI docte, diserte, acute Deli,
Castiganti iterum vacasne morbo?
Malum! pol meritò salute votum
Pro tuâ facio: perire namq;
Tam pulcram ingenii sagacis auram
Indignum ante diem est. salutis ergo
Autor restituat tibi salutem
DELI docte, diserte, acute Deli.

CL. doctissimoq; V.

VALENT. SCHINDLERO

Hebrææ linguæ Professori peritissimo, Collegæ meo, De magnifico Munere Prorectoris in inclutá IVLIA.

QVando suis primùm Doctoribus, auspice fato,
Adscripsit, SCHINDLERE, tuũ mea IVLIA nomen,
Exiluit, tam nacta virum, se nomine cuius (men,
Iactet, & haud vlli longè lateq; Lycæo
Cedat, vbi doctæ sunt instillanda iuuentæ
Pectoribus sacro-sanctæ Mysteria linguæ.
Nam, qui præriperet palmam tibi, prodiit ecquis
Hactenus in medium? nunc postquam diua Virago
Transcripsit sua sceptra tibi, spe plena vicissim
Exiluit iam nacta virum, quem clara tot annos
LEVCORIS Ebræos referantem examine fontes
Radicum explicito clarios attolere fasces
Edocuit. factum ô benè! quo tibi nomine grator
Collegæ, Vir docte, meo: cumq; vndiq; rerum
Tempestas furat hei sine more, grauesq; minetur
Hei nostro casus merito; sanctum accipe votum:
Imperium Superi fortunent, teq; gubernent,
Et florere velint, pubiq; in commoda seruent.

DE CASPARE PAFRADIO,

S. Theol. Doctore in Iulia creato, Viro CL. & doctissimo.

Qui

QVi docuit verâ de Relligione tot annos
Pubem eruditè, & integre PAFRADIVS,
Tandem hodie, (quod sit felix, alysq; Saluti)
Theologiæ Doctor *renunciatus est.*

DE DAVIDE HOESCHELIO

Gymnasii Augustani Professore, Viro doctissimo, & de literis egregiè merenti.

QVæ vix hanc vnquam lucem visura fuissent
Scripta, vetustorum semisepulta Sophûm,
Aurea venturo Monumenta HOESCHELIVS æuo
Multa à lethæis vindicat acer aquis.
Ac teneræ desit ne quá ratione Iuuentæ,
Romano Græcos efficit ore loqui.
O Augusta caue, minuat præsentia famam:
Qui foris est sydus, luceat ille domi.

M. OVENO GVNTHERO, V. CI.

Philosopho eximio, in ill. IVLIA Seniori.

IAm pridem, OVENE, viuidum ô Sophiæ decus
Tot Maximorum IVLIAS
Genitrix Virûm, Custos Sacrorum prouida,
Orbis lubar Germaniæ,
Musis cum oluantibus, canoro & Apolline,
Ipsissimisq; Gratiis,
Debere *se tibi fatetur maximas*
Et æuiternas gratias.

Namq; adstitisse te suis, meminit bene,
Cunis, & omnibus diem
Ornasse natalem minister is; preces
Iunxisse legibus manu
Scriptas tuâ; duxisse te in Proscœnium
Primùm Magistros Artium ad-
plaudentibus Superûm chorîs, lectissimos.
Hinc optimorum IVLIAS
Genitrix virûm te semper agnoscet suum
Bonum Auspicem, atq; Vindicem
Bonum, decus perenne, lumen fulgidum;
Agnoscet & Phœbus Pater,
Charitesq; cum Musis, tuoq; perpetim
OVENE ouabunt nomine.

In Eruditiss. Commentarium
VALENTINI FRANCI
IC. excell^mi.

Miror, quâ Francus ratione voceris, in Idæ
Ediderit cum te docta Minerua iugis?
Testis hic, Astræa munus venerabile, Codex:
Quin pòst Idæus, non mihi Francus eris.

IOANNI SIGEFRIDO MED.
Botanico & Anatomico IVLIAE excellenti

QVi, SIGEFRIDE, minùs sese intus, & in cute n
Te consulat, quo doctior (nu
Scindere, & humanas partes exponere, nemo est:
Mox nouerit se exactiùs. Reue-

Reuerendo & præstanti Viro
M. IOANNI SCHARLACH
Superattendenti Gardelegiensi, de missis Poëmatiis Filii, M. SAMVELIS, doctissimi Viri.

QVas miseras nuper, Poëmatum Nati.
VMBRAS tui legi. sed heus: ei valde
Succenseo. tam luculenta quòd Phœbi
Dictata deformarit improbo prorsus
Titulo. quid Vmbræ *ad Elegantias mille?*
Quid insuper se macerat quiritatu?
Iam lux patet dudum Viro laboranti,
In quam suo IEHOVA, prater omnem spem,
Producet illum tempore. hic ego Vatis
Nomen tuebor, & tuebitur fatum.

BERNHARDO PALVDANO
Hollando, Medico Enkhusano, rarissimarum quarumq;, & optimarum omnis generis rerum sectatori, V. optimo, & doctissimo.

COlligis, immensi moles quæ parturit Orbis,
Miraturq; tuas quilibet hospes opes.
Hinc rerum Domini passim te munera poscunt:
Hinc & honos tibi, & hinc conciliatur amor.
Ergo Paludanum *te nemo dicat; at* aureûm,
Siq; auro quidquam carius Orbis habet.

DE M. CORNELIO MARTINO,

Logices in incluta IVLII Professore, summo ingenio, & exquisitâ eruditione præstanti clarissimoq; Viro, Collegæ meo.

O Procreatrix Artium beatarum,
Medicina pectorùm, salubris Ars vitæ,
Donum DEI, sapiensq; prorsus Inuentum,
Philosophia, *intra terminos manens rerum*
Certos tuarum, curiosa nequaquam;
Quam sobriè qui profitetur, & plenè,
Eum est necesse sustinere Personam
Grauissimam: aut tu nobilissimum Diuæ
Membrum huius ô Logica, *expedita, perpulcra,*
Fallensq; nunquam Norma differendi;
Sine quâ docendi qui sibi impudens sumit
Partes; docet, quod nescit, & scrit nugas:
Videsne, regnum vt nunc vbiq; terrarum
Infame Barbaries *inanis adfectet?*
Quòd si tuam quoq; aggredi dein arcem
Tentabit insolente plurimùm nisu;
Cornelius Martinus *adsit ante omnes*
Præsto tibi, quem IVLIAE Virum nostræ
Antuerpium, imò Belgium inuidet totum.
Imò omnia inuident Lycæa, nec mirum.
Huic abundè virtutum, abundè & armorum est,

Huic

Huic manus, animiq;, nec deest quidquam.
Hic mente propugnabit acer inuictâ
Defensor Arcem, aduersus impetum quemuis,
CORNELIVS MARTINVS aureus Belga,
Sincera Porphyriæ medulla doctrinæ.

DANIELI BVCRETIO

Patricio VVratisl. Medico eximio, V. doctissimo, optimoq;.

INtentasse tibi vim lethum immane supremam,
Fama est, at quis, te conualuisse, refert?
IOVA tibi vires reddat, nec tam citò nobis
Ingenti eripiat mellea dona tui.

In Leonem, Coronam, & Vuas FRIDERICI ORTLEPII,

DVCI Brunsuicensium à libellis Iudicialibus, V. ornatissimi.

ET Diadema, suumq; tibi, Friderice, *LEONEM*
Guelforum *insignis stirpe Dynasta dedit?*
Argumentum ingens certi, mihi crede, fauoris;
Præstandæ & fidei nobile calcar habes.
Quam si præstiteris, maturâ dulcior Vuâ
Fructus, & erectâ sorte sequetur honos.

MATHIAE BILICERO

Reipub. Neostad. Silesiorum Syndico, V. amplissimo. De Filii profectu in studiis.

Primi-

Primitias, BILICERE, tui & conamina Nati
Spem te quam tubeant mente fouere vides.
Non vllam melius poteras impendere noctem,
Quàm quæ huic gignendo lecta, locata fuit.

In II. Centuriam Quæstionum Iuridicarum EBERHARDI SPECKHAN, ICti eximii, Collegæ mei.

QVantum Pars tibi prima Quæstionum
Nomen docte pararit EBERHARDE,
Nostra & IVLIA particeps honoris
Vt sit facta tui; loquuntur omnes,
Quotquot templa Dices sacra frequentant.
Nunc postquam sequitur secunda primam,
Hanc & tertia forsitan sequetur;
Quid te laude vehent in orbe toto,
Quotquot templa Dices sacra frequentant?

IOANNI HINCONIO Reipub. Iglauiensis Syndico, V. doctrinâ & Virtute ornatissimo.

HInconi: mirumne tibi, te viribus haustum
Ex desperato conualuisse malo?
Ipsius inferior quo dia potentia morbo est?
Ah miser, huic qui non fidere nouit Hero!
Hic tibi restituit vitam, hic seruabit eandem:
Huic committe animam. cætera tutus eris.

Notæ

Notæ piæ & sapientis Reipub.

AD AMPLISS. SENATVM STRELAE, quod celebre est oppidum Silesiæ.

MOEnia cùm peterem tua nuper, STRELA, pla-
Quatuor, in laudes officiosa DEI, (cebant,
Templum, æs campanum, turris, Schola: singula pulcre
Instaurata intus, & decorata foris.
Intus voce DEI purâ, foris arte Fabrorum:
Calcar & illud, & hoc ad pietatis opus.
Tantò illud potius, quantò hîc, qui præsidet arâ,
Quiq; Scholæ, multis doctior est aliis.
Et pius, & sapiens ergò tibi, STRELA, Senatus
Iura dat: hinc partem tu quoq; laudis habes.
Hanc retine. sic te regat, & regat Arbiter Orbis,
Nec dubita: nescit fallere Cura DEI.

GEORGIO FVRST, CIVI VVratislauiensi spectatissimo, Viro vt opulento, sic benefico.

VSus opum rectus largo sine fœnore nunquam est:
Id licet exemplo nempe probare tuo.
Muneribus nam templa tuis florere Scholasq;
Cernimus, & priuos se releuare lares.
Et quò plura tamen das, FVRSTI, plura receptas:
Qui sic? sorte tuâ, & nomine digna facis.

V. CL.

V. CL. DVNCANO LIDDELIO,

Philosopho, & Medico doctissimo, Mathematico excellenti, summam in arte medicâ dignitatem consequenti, Collegæ meo.

Phœbe Pater, meritos si cui largitus honores
Vnquam fuisti; largieris huic modo
LIDDELIO. namque Artifex
Iamdudum, Parcis frendentibus, audit Hygeiæ;
Sophiaque. fulminante Barbarie ferâ.
Idem audit Vraniæ Artifex.
Cui paucos reperire pares res ardua certè est,
Inscitiâ passim fremente luridâ:
Sed contra ouante IVLIA.
Ergo, Phœbe, tibi si vis impendere honorem,
Hunc negligas caue, decus qui SCOTIAE est,
Tuæq; Gentis aureum.

IOANNI HILCHENIO,

Viro & Medico optimo doctissimoq;, inclitæ Reipub. Rigensis Physico.

TE, Iane Hilchen, bonus ille Caselius esse
Virum fatetur optimum.
Quòd si animi Stylus est, (vt habet vox trita) character;
Tua idem loquuntur littera.
Et te

Et te morborum Domitor Latonius esse
Medicum asseuerat optimum.
Quid ni igitur tanti spe lætâ incendar Amici,
Viri optimi, & Medici optimi?

M. ANDREAE GRVPHENIO,

V. doctiss. & humanissimo: Collegæ meo.

AD Bustum iam Parca pedem tibi traxerat vnum
GRVPHENI, & vitæ spes propè nulla fuit:
Cùm DEVS, hic multos de Pube fideliter annos
Est meritus; Pubi hic ergo superstes, ait.
Pro te verba DEVS fecit? mortemque repressit?
Quid metuas? Ille est Vita Salusque tua.

GVLIELMO VVIFERINGIO

Semigallo, Iuueni eleganti, & pererudito.

HErcule Virtuti Monumentum insigne paternæ,
Et studiis calcar contigit acre tuis.
Romano quid enim præclustrius Alite? non hic
Cuiusuis capitur (nam petit alta manu.
Buccina sed quorsum clypei pars altera? famæ hæc
Buccina. quid deceat te, GVLIELME, vides?

DE IV-

DE IVSTO LIPSIO
V. CL. Ingenii & doctrinæ principe.

DIsertus ille LIPSIVS, Lux seculi,
Passim suis miscet querelam litteris,
De fluctuante firmitate Corporis.
O Phœbe, Sanitatis aureæ Pater,
Oleum subinde huic recens clarissimæ
Affunde Luci, tam tuæ, quàm seculi,
Ne tam tibi extinguatur hæc, quàm seculo,
Exorta quâ vix est solo serenior.

RVBOR SOLIS PRAETERNATVRALIS:
VI. Iulii, circa quintam & sextam horam vespertinam, Anno Christi 1588.

QVid est, Sol iterum quòd erubescit,
Vultus insolito colore mutans?
An nondum satis est cruoris hausstum?
An nondum scelerum peracta tela?
Si neutrum tamen est, quid ô putatis
Mortales miseri subesse cælo,
Quòd Solis toties stupendus Orbis
Vel pallet nimiùm, vel erubescit?

FINIS LIBRI VI. MISCELLANEORVM.

SALO.

SALO. FRENCELII
Epigrammatum EROTICωN, NVPTIALIum, & Genethliacωn Liber.

IOANNI MENCELIO D.
Viro & Medico Optimo,
Doctriná, pietate, humanitate, omnibusq; Virtutib. præstantissimo:
AMPLISS. DVCATVS GLOGOVIENSIS Physico ordinario:
Amico meo multis modis carissimo.

SAL. FRENCELIVS S.P.D.

EN tibi hunc Libellum, cui quem titulum indiderim, vides. Quid hic ad me, (inquies) cui senectus paulatim obrepit? & fortè illud veteris poëtæ obijcies: Γέρων ἐρᾶσης, ἐχάτη κακὴ τύχη.

τύχη. At tu audi me, audi inquam optime MENCELI. neque enim dum tibi

--- gelidus tardante Senecta
Sanguis hebet, frigentq; effœta in corpore vires.

Quot florentissimi iuuenes amori operâ strenuè dederunt, ad matrimoniũ animum applicuerunt, pulcellosq; ex se liberos genuerunt, qui nunquã eò felicitatis peruenissent, nisi συν θεῷ tuâ arte, quam permagnâ felicitate exerces, grauibus morbis, atq; adeò ipso mortis articulo erepti fuissent. Iocum dices. at ego ita iocor, vt interim dicam, quod res est. Multum igitur tibi debet Domina Venus: multum Lucina. Quarum cum hic Libellus totus sit, cur eum non tibi potiùs destinem, quàm alii, præsertim cum nomen tuum in hac Amicorum meorum familiâ omnino extare voluerim, & quidem easdem ob causssas, quæ me ad salutandos cæteros inuitarunt? Adeo enim non negabo, vt etiam palàm fatendum prædicandumque existimem, suauissimam inter nos iamdudum, auspice nobilissimo nostro Dyræo, cui ego vel hoc nomine multum debeo, coaluisse Amicitiam: teque in hunc diem nulli in me amando ornandoque cedere. Ego verò te diligo, & in oculis gero;

ro; non tantum, quòd sic te erga me geris: verùm animus ille germanus, qui in te est, in primo limine in amorem tui me abripuit. Nam eam integritatem, eam fidem, eum candorem in te deprehendi, vt si tui multos habeamus similes, (dicam, quod sentio) longè aliud seculum simus habituri. Accipe igitur ab Amico μνημόσυνον, nec aspernare, vel etiam ideo, quia hic Libellus id complectitur, (etsi minutim) quod tibi maximè est in votis. Quid hoc? vis dicam? arrige aures, siue aperi oculos, & ride, & vide, quid agas? vt nimirum tot elegantes filias, scitus bellulusque desideratissimusque sequatur Filius, qui te ore referat, qui ingenio, qui moribus, qui familiam sustineat; & dulce propagando possit producere nomen. Cuius voti vt te compotem faciat sapiens atq; abstrusa benignissimi Patris cœlestis Prouidentia, & Gratia; certè tuum non est fastidire par hoc Dearum, quas dixi; & per consequens hunc non meum, sed ipsarum, & iam tuum Libellum. Bonus animus de significandâ quocunque modo gratiâ etiam atque etiam sollicitè cogitat.

Intellextin'? Bene vale, &, qui secus facere non potes, tui te mihi Bonisque omnibus seruа similem. Annum hunc ineuntem tibi tuisq, ac denique nobis omnibus largiatur tranquillum & felicem IEHOVA noster, sine cuius Numine nihil est in homine. Ex Iuliá Cal. Ian. Anno sal. hum. M.D.XCIX.

ERO-

EROTICA SIVE NUPTIALIA.

Nuptiis Illust. V.
CHRISTOPHORI à SCHLEINIZ,
L. Bar., Consil. Cæsarei,
Et
Lectissimæ Matronæ PFLVGIAE,
Viduæ.

ECquid ais? thalamumne nouum Schleinizius intrat?
An tibi, Fama loquax, est adhibenda fides?
Est puto: namq; Virum sua nondum deficit aetas,
Digna puellari sanguine, digna toro.
An viduam ducit Schleinizius? anne puellam?
Quo Patre, quo cretam stemmate? Fama refer.
Matrona antiquâ virtute & sanguine praestans
PFLVGIA, honorato dat viduata viro
Illustri sese Viduo: fit amabile fato
Par facili: IVNO plaudit, ouatq; Venus.
MISNIA ARATORVM memori res praedicat ore:
SCHLEINICIDVM Q. eadem praedicat: vnus honor

Vtriq; est: hinc vnus amor, quem copulat vnus
Sponsæ Sponsus amans vnius, ipse Deus.
O dilecte Deo, moueat te Nomen: ARATRO
Dulci & molli hilarem, CHRISTOPHORE, adde
Altera surgat humo seges, haud aliena priori, (manu.
Vt similes videas post quoq;, Sponse, tui.
Casto insiste operi, seriemq; refinge Tuorum:
Nimirum inde Deo est grata oritura Seges.
Hinc Messem cœli sibi colliget Area: felix,
Qui sua sydereo semina credit agro!

Nuptiis Generosi Domini,
IOANNIS VVENCESLAI VVENZELICK à Sarabitsch, in Trischt &c. Equitis aurati, ducentis lectissimam ex illustri familiâ Puellam.

SPONSVS PVELLAE.

FLos animæ Catharina *meæ, quò figis ocellos?*
Huc age: VVenceslaus *adest tuus: en ego SPONSA*
En adsum, vt tibi iam me tradam. en dextra, fidesq;
Tecum ego florentis decurram tempora vitæ.
Tu mihi te committe; tori tu sola futura es
Pars sine labe mei: faucant modò Numina cœptis.
SPON-

SPONSA veni dextramq; mihi mea porrige SPON-
Et viuam, & moriar tecum, si posculet ordo (SA:
Fatorum: nemo hîc, quàm mors, diuortia ponet.

SPONSA VIRO.

VVenceslae, *animæ pars optima maxima nostræ,*
Ergo ades, vt tibi me tradas, dextramq; fidemq;
Das cum voce mihi? pariter dextramq; fidemq;
En ego do cum voce tibi: mihi viuere tecum
Dulce erit, & nec triste mori, fato imperitante.
Sed quia nil rectè geritur sine Numine Diuûm,
Hunc in vota voca mecum, qui fœdera casti
Sanxit Coniugii, dic: ô bone CHRISTE iugales
Inflamma magis ac magis hoc in pectore tædas,
Et Sponsam *seruato meam. tunc consona iungam*
Vota: ô CHRISTE faue, VVenceslaumq; Ioan-
Mî seruato meum: sic nostro dulcius æuo (nem
Nil erit: hinc generi surgent noua germina nostro.

DE EIVSDEM SPONSA.

COnuenêre pares formâ, & virtute puellæ:
Obstupui, & primùm rebar, adesse Deas.
Ni me animus fallit, numero ter mille fuerunt:
O chorus ô agris grata medela oculis!

Certabant omnes: cui maxima gratia forma,
Vinceret & reliquas quæ probitate DEAS?
Hic VVENCELIKII SPONSA interuênit: & (ecce
Erubuêre omnes, conticuêre simul.
Arrigat hic Sponsus, *nisi saxum est, arrigat aures,*
MVNVS & Vxorem nouerit esse Dei.

LVD. SCHVVARTZMEIER
Consil. Cæsar.
Et
ANNAE MARIAE FREIMONIAE.

CVr Schvvarzmairides *tædas hoc mense inga- (les,*
Quo redeunt pulso frigora sole, petat,
Nemo roget; flamma est ipsi ANNA MARIA: ca-
Plus satis, etsi omnis torpeat vnda gelu. (lescet

In Sponsam
HILDEB. GISLERI RHVMANNI Consil. Brunsuic.

MIraris formam, genus, & Virtutis honorem?
Desine: IAGMANNI est Filia, DOROTHEA EST.

CA-

CASPARI FROLICH, Affini meo,
Et
REGINAE RATHMANNAE,
Sponsis nob.

QVòd REGINA HILARO nubit, certè omina
Nominibus, subsunt omina Coniugio. (subsunt
Sponsus Rex HILARIS sponsæ, REGINA Q. spon-
Illorum hinc regnum nobile Lectus erit. (sa est,
Ille illam; sese ipsa reget, quò subsit Amanti;
Illorum hinc thalamus REGIA Pacis erit.
Proferet hæc HILARES hæredes. Regia cœlo,
Ambiet hinc illos Ipsa Corona Dei.
Vita tori concors tale & tam nobile regnum est!
Cùm duo conspirant pectora, regnat *Amor.*

MELCHIORI NEOFANIO
De Nuptiis Filiolæ,
M. IOANNI MAGIO elocatæ.

ERgo Gener Socerum te nunc habet iste secundus,
Tuâ hoc loquente Epistolâ?
Quem pietas, & vera Dei reuerentia tangunt,
Sic ecce sic beabitur!
Solue Deo, MELIOR, grates, & pectore cura
Facessat omnis intimo.

Heu quantus dolor, & quantus labor antè vorandus
Est prouidis parentibus,
Educant Sobolem quàm iustæ ætatis ad annos
Sine crimine, & discrimine!
Hæc tibi nimirum, Pietatis olympia merces,
Beatitudo contigit.
Contigit alteram enim vinclo sociare iugali
Natam bono bonam viro.
Vnde voluptatem capis, vnde mereris honorem,
Et spem nouellam concipis.
Sponse MAGI gaude: Sponsa ô NEOFANIA plau-
Vitamq; vterq; viuite. (de,
At tu verba, Pater, gratantia concipe, propter
Bene educatam Filiam.
Immò idemq; Socer cape vota precantia, propter
Bene elocatam Filiam.
Post hac quin & Auus cape viuida gaudia, propter
Bene irrigatam Filiam.

ALBVM ET NIGRVM
Aenigma Minckvvizianum.

CAndida amo; nigra suppono: coniuncta capesso:
Quanta ô coniuncta gratia rebus inest!

LVD. SCHVVARZMEIER.

Pate-

PAreat, & pariat (paucis precor omnia) tecum,
Transigat & longos Anna Maria *dies.*

CHRISTOPHORO FISCHER,
Christophori CL. Theologi Filio, DVC. Lunæburg Consiliario, Viro præstantissimo, Sponso.

ET quot te quibus atq; modis dicam esse beatum
Christophore, *Aonio nectare pote diu?*
Primùm te voluit tali Genitore creari,
Munera cui tribuit pleraq; rara, Deus:
Iussaq; Resq; DEI quem CHRISTI Sponsa docentē
Audiuit lustris, doctior inde, decem.
Vná qui totidem cum Coniuge suauiter annos
Exegit, prò quot tam benè mille dies!
Ternam cui seriem Lucina videre Nepotum
Post bis septem æui lustra peracta dedit.
Te tali ingenio Natura deinde beauit,
Artis quæ nequiit nullius esse capax,
Vsq; adeò, sex vt commissa bis octo per annos
Summa docendorum sit tibi cura DVCVM:
Quos hodie partim clypeus, toga candida partim,
Atq; habitu vestit cultu Minerua suo.

Deniq;

Deniq, nunc alio, quo non præstantius, auget
Munere te, vitæ Compare nempe, DEVS.
Compare, quam tibi non Plebeio sanguine cretam,
Verùm Patre bono, & Consule, iunxit amor.
Quid tibi vel nutu verbisue precantibus optem,
Quod non auspicio Numinis antè tenes?
Sponsa tibi est nondum Coniux, nondum tibi Proles:
Sponsa igitur Coniux fiat, & inde Parens.
Hinc Scultetus *AVVS fiat Socer, & pater idem:*
Hinc nouæ cœlesti surgat in vrbe Schola.
Hæc si dona Deus postrema prioribus addet,
Te, bone PISCATOR, faustior ecquis erit?

VVOLFGANGO MICHAELI PHARMACOPOLAE Cellensi,

Et

ANNAE POLTINAE.

VVolfgango *nuper* Michaeli *fœdere lecti*
Annam Poltinam *iunxerat ipse Deus.*
Quid mirum, ex voto his si cedant omnia Sponsis,
Omne Authore Deo cum bene cedat opus?
Dulce iugum Par hoc in amœno exerceat agro:
Hoc VVolfgangulus, *hoc* Annula *surgat agro.*

SA-

SAMVELI REINHARDO, Consil. Brandebur.

Et

EVAE BEHRIN, Sponsis præstantissimis.

VEl tandem *SAMVEL casto REINHARDVS*
Vincitur, & miti mitia colla iugo (amore
Subdit amans, vt ametur, & æthera amantibus olim
Impleat. hic scopus est serior: at melior.
Sed cur fœdus init SAMVEL, quo tempore Phœbus
Signa anni repetit per duodena viam?
Strenam ipsi voluit dare, qui dedit omnia, SPONSVS,
Cuius SPONSA vni Gens operata Deo est.
Et dedit eximiam; potius quale omnibus vnum
Muneribus munus, censuit ipse Deus.
Strena hæc, EVA PIA est: vno dixi omnia verbo
Munera virginei pectoris; EVA PIA est.
Vota diu dilata, Deo sed grata! quid ergò
Votorum serie longa opus esse rear?
Maxima sæpe moras pensant sic commoda paruas,
Pendet vbi à solo spes animosa Deo.

IOAN. MICHAELIO MED. D. Austriæ superioris Physico, & HELENAE PRVCKMVLLERIAE.

Formâ

Formâ Helenæ *simulem, maiorem laude pudoris,*
(Quæ laus virtutum continet omne genus)
Ducit Pæoniâ præstans MICHAELIVS arte
Stirpe HELENAM, vt fama est, de meliore satam.
Sponsorum par dulce, DEVS quos iunxit amantes!
Quid queat illorum firmius esse toro?

GEORGIO VVOLFIO SPONSO.

Dictus es in sacro tu fonte Georgius: *huius*
Dulce tuus peragat Nominis Omen Amor.
Sis bonus Orator; *fias vt fœlix* Arator:
Excole subiectum, quâ potes arte, Solum.

ANNAE BVTHNERIAE Sponsæ.

ANnæ *nomen habes: i multos* Anna *per annos.*
Virgo maritali fœdere iuncta viro.
Sunt pleræq; bonæ, quæ tali nomine gaudent:
ANNA fuit Patri Mater honesta meo.
Sunt pleræq; bonæ, quæ tali nomine gaudent:
ANNA fuit Matri Mater honesta meæ.
Tu quoq; deinde tuo BONA coniux esto Marito
ANNVLA, virginei flosculè belle chori.

EIDEM

EIDEM VVOLFIO.

CVr non Italiam petis, vt sententia stabat?
Læsus ego Latio cogor abesse solo.
Ecquid ais? læsum te dicis? quomodo? quando?
Dic age: quæretur fortè medela malo.
Vulnus alo venis: an magnum? maximum: at vnde (est?
Me ferit telis nempe CVPIDO suis.
O sanum, quod morte caret, quod sanguine vulnus!
I nunc, Italiam nunc pete, Sponse, tuam.

FRIDERICO DASYPODIO IC. præstantissimo, Collegæ meo, Et HEDVVIGI EVERTHAE.

HEdvvigin Friderice *tuam, cui Iuno Venusq;*
Inuidisse queant, seq; bonæ Charites
Agnouisse minùs præ tam præstante puellâ,
Vt vidi; his finem quæstibus imposui:
Hæcne fides cineri promissa? Secunda priori
Par adeò castis moribus, ore, animo!
Vnam animam in bino tibi corpore seruat, & vnam
Suscitat ecce tibi spem redituus amor.
Quodcunq; exsequiis debetur, id omne solutum:
HEDVVIGIS luctus blanda medela tui est.

Blan-

Blanda medela! grauis ratio est, & cura penatum:
Hoc vno indulget nomine Parca toro.
Fœcundis igitur dum seruit amoribus ætas;
Dumq; est in cursu firma Iuuenta suo,
Hedvvigin Friderice *tuam sic iunge* priori,
Vtraq; vt æthereos, te patre, plantet agros.

STATIO BORCHOLT, D. IOANNIS, IC. magni Filio, paternæ laudis hæredi, Coll. meo.

O Stati, Stati, *quæ te clementia cepit*
Margaridos, *cuius pectore totus ines?*
Gemma pudoris, amoris, honoris, in intima serpsit
Viscera; tu gemmam hanc his quoq; claude tribus.
At tribus his, vt amor constet, conclude Richelmũ,
Sic Stati *stabunt omnia vota tibi.*

EIDEM ET MARGARITAE HAMSTETIAE.

IAm tandem satis est properatum: denig; standum
Standum est, mi Stati: *stat quia Sponsa tibi.* (est:
Stat facie insignis, virtute, & honore Parentum:
Stat Virgo aureolis conspicienda comis.

Cerne

Cerne genas, oculos, ceruicem, brachia, cerne
Cætera; cuncta intus gemmea: cuncta foris.
Quorsum igitur votum, si re, ceu nomine, Sponsa
MARGARIS est, animi gemmea tota bonis?
Stent thalamo sua fulcra: FIDES, CONCORDIA: verbo
Omnia dicam vno: stet tibi, sed quid? amor.

BARTHOLOMAEO HAVLICHIO, Pragæ Minoris Primati, V. amplis. secundùm SPONSO.

IAm pridem *Musæ, Charites, & doctus Apollo*
Te decus appellant, Bartholomæe suum.
Nunc postquam ex fama didicêre: tugalia fato
Sacra verecundi te celebrare tori:
Noster es, acclamant, HAVLICHI: nos tua, Sponse,
Turba sumus: nostras ergo capesse preces.
Hæc summa est: nouus hic plures ferat vbere fœtu
Haulichios *nobis, Te Genitore, torus.*
Sic noster nitidè, sic amplificabitur ordo!
Quis dubitet? fruges fert bona terra bonas.

THEODORO ADAMIO, IC. & Oratori eximio, Collegæ meo, & MARGARITAE CASELIAE

CVm re nomen habes, THEODORE: Puella, futura est
Quæ tua cras Coniux, cum nomine possidet omen,
MARGARIS. & quorsum votorum opus ordine longo?
Virtus, non Persona sui, sibi sufficit ipsi.
Ecce nitens fuscis hymen, ceu sydus in vmbris,
Peruigil ebriolis, sine fraudibus, hymen ocellis,
Hymen amabilibus paci iucunda serenæ
Prælia committens rixis, tibi fœdere iungit
Aeterno Sociam, quæ non tam dote superbit,
Quàm pietate suâ, & sapientis nomine Patris;
Patris, quo pulcro sermonis vindice gaudet
Tullius ipse sui: Graii in quo pura saliua est
Nectaris, Ambrosiæ & genuina medulla Latinæ.
An non, Sponse, tibi verè hæc est MARGARIS? ecce
AEterno idem hymen Socium illi fœdere iungit,
Cui Pater inseuit pietatis semina veræ,
Quem Natura bonum, meliorem ars æmula fecit,
Optimum Amor faciet præsens! te iungit: & an non
Cum re nomen habes? votorum ambagibus ergo
Cum minimè sit opus; tribus omnia deniq; verbis
Accipe: sis Sponsæ THEODORVS Sponse, sit illa
GEMMA tibi: vtq; suâ stet fixa CASELIA stirpe
Gloria, & hoc nomen florente propagine crescat,
Nestoreos seruet vos hic Hymenæus in annos.

IOAN.

IOAN. CVCHLERO SENAT. Oppauiensi.

DEspondisse tuam sociali fœdere Natam
Florenti Viduo, publica fama refert.
Quòd si vera refert, age faxit Fœderis Autor,
Cuchleri vt crescat prole, & honore genus.

VVOLFGANGO HANE I. V. L. Amplis. Senatus Halæ Sax. Assessoris, Sponso.

SVdat in Autumno VVolfgangus: quæritur vnde?
Dicam: qui legitis, vos adhibete sales.
Qualis inexstincto noua cera liquescit ab igne,
Qualis purpureo Sole pruina cadit:
Floridulum os, species argentea frontis, & aurea
Illum vrunt blandis sydera luminibus.
Hæc VNI Natura fauens dedit omnia, at ignem
Asperserit faculis Cypria diua suis.
Hinc in VVOLFGANGVM flammarum semina iecit
Ipsa sibi, ipsa nouo Fax CATHARINA viro.
Hinc ardens amor: hinc conspirant pectora: nexu
Hinc vnum fiunt corpora bina nouo.
O sudor bonus! ô fœcundi gratia roris!
O nunc officium fac Cytherea tuum.

Aſpira ſulcos ad gaudia, baſia miſce,
Et reple ſulcos ſemine, fruge torum.
Sitq; breui referat qui nomine req; Parentem,
Matris & ô præſtans indicet ore decus.
Spes bona: nam ſatus eſt Sponſus de Patre, Nepotum
Pignora cui centum dinumerare datum eſt.
Audiat hoc Sponſus; ſudetq;, vt cepit: Olympo
Depluat in caſtum plurima gutta torum.
Firmiter è gemina concreſcat Spiritus aurâ,
Floſq; Animæ Elyſiis ſtet ſine fine iugis.

IOACHIMO SMIDIO, Et MARGARITAE HESSAE AE Sponſis nob.

Si ducenda mihi Coniux, hoc tempore ducam,
Quo natura parens cum Genitore coit.
Omnia quo florent, ſpeciem vitamq; reſumunt,
Et genius gaudet rebus ineſſe ſuis.
Si ducenda tibi Coniux, hoc tempore ducas:
Quid moneo? thalamos me prior ecce petis.
Nec te Sponſa rudis, ſed gemmea tota Maritum
Efficit, & faciet Margaris *iſta patrem.*
Optima quæq; Vxor gemma eſt preciosa Mariti,
Et datur à ſolo, ſæpe petita, Deo.

Aſpi-

Aſpirate nouis ô pronuba Numina tædis,
Et quæ iunxit amor, corda fouete toro.
Vos penes eſt nexus: penes eſt duo pectora ſenſus,
Nectitur, & fato rumpitur omnis amor.
Fatum igitur, SMIDI, cole: nam diuina poteſtas
Hoc regit, & hac qui nititur, ille viget.
Huic precibus committe torum: quam tempus amæ-
Ver parit hoc, tam pòſt ille ſerenus erit. (num

ANTONIO CAVCIO ILL. P.P. Holſat. Conſiliario, Viro excellenti, Sponſo.

Nauigat omnis amans, & habet ſua vela Cupido:
Cauci, crede mihi, nauigat omnis amans.
Eſt amor vnda: vnda eſt incerta, infida, fugaxq;:
Talis amor: ſed quis nauita? fœda Venus.
Quæ nauis? furor obſcœnus quem portat? Amantem
Amentem. remos quos ea nauis habet?
Fallacem noctem, Bacchumq; inſana mouentem
Arma: quibus velis? fune, cruce, igne Stygis.
Tu quoq; Nauta nouus CAVCI es: taliſne? negatur:
Namq; ſecas aliâ conditione viam.
Limpida, quâ veheris generoſi ſanguinis vnda eſt,
Caſtus amor: ſocia eſt Nauita Sponſa Venus.

Cætera quis nescit? remi, transtra, obuiaq; aurìs
Vela verecundi sunt pia vincla tori.
Quàm malè Nauta prior malesidùs voluitur vndìs,
Tam benè tu tutas. Nauita findis aquas.

MARTINO BRASCHIO
Professori in inclutá Academiá Rostoch.
P. L. V. CL.
ET DOROTHEAE BADEN.

MEssìs perennis Laurus Opimiæ
Multos, & eôsdem nobilitant opes,
Et patrimonium: beatus
Quem decorat sua promerentem
Virtus, & alis fama perennibus:
Non turpis auræ prostibulum, neque
Vulgò datum, non fastuosum
Ambitione malá. sed vsq;
Sincerum, apertæ frontis, & integrum,
Mensus suo se qui modulo, ac pede,
Sentire nouit de seipso,
Quantum operæ est aliúq; dextrì.
Qualis secundo consequitur Deo
Laurus coronam BRASCHIVS innubæ,
Et suaue Nepenthes malorum
DOROTHEEN iuuenem puellam.
Viuat

Viuat benigni nuncia CAESARIS,
Viuat perenni Laurea seculo,
Et floreat capite alma digno
Perpetuas paritura laudes.

M. SIMONI MENCIO
V. opt. & doctiss. Collegæ meo,
Et
MARGARITAE NASAEAE.

APollini carum, & sacrum Vraniæ caput,
Vindexq; MENCI acerrime
Heì vapulantìs PRISCIANI atrociter,
Virûm optimorum haud vltime,
Ad vota quòd transis secunda, cælibù
Exosus vmbras Ordinis,
Non prurientis incitatus impetu
Libidinis, præpostero;
Necessitate sed rei domesticæ
Coactus, inprimis pari
Vxore ductá, MARGARITA nomine,
Et re; Deum quæ virgine
Assueuit à primá vereri seriò,
Veroq; cultu prosequi,
Modesta, simplex, casta, solers, prouida,
Tuiq; amans quàmmaximè;

Ipse approbat Deus, sacri Autor fœderis.
O ergo faustos Coniuges,
Quorum ante lectulum Fides, Concordia,
Pietasq; *mitis excubant;*
Et, viuat ô cum Margaritâ Mencius,
Bonusq; crescat Mencius,
Deo, sibi, suis & almæ IVLIAE,
Optant secundis plausibus.

GEORGIO DONATO,
V. præst. Amico veteri,
Sponso.

TEmpestiua capiùs qui sacræ munia vitæ,
Tempestiua tori gaudia iure capit.
Tempestiua Deus velit esse, satisq; GEORGI
Prospera fata tibi, prospera fata tuis.
Viue Deo primùm, dulci post viue Maritæ:
Namq; Dei prima est cura, secunda tori.

GODEFRIDO BVCHOLCERO,
optimi & doctissimi Patris Filio egregio, Sponso.

SIc equidem rebar, solo satis esse beatum
Magni Patrîs te nomine:

Patris, quo melius nil, & nil doctius vnquam
Vetus tulit Silesia:
Id; BVCHOLCERO demum intellexit ademto,
Cæca illa, more seculi.
At GODEFRIDE, magis te nunc dicam esse bea-
Vxore ductâ non malâ. (tum
Carius hac etenim nil est, nil rarius vnquam:
Ergo beatum te magis.
Sed magis atq; magis, quòd spes tibi surgit ab illa
Felicitatis maximæ.
Nempe renuiscat tuus vt Pater optimus ille,
In prole postmodum tuâ.
Nam cùm Sponsa bono tua sit prognata Parente
HANISIO: cùm clarum Auum
luclet HOTOMANNVM; cùm sit bona & ipsa;
Quò spem minùs faciat bonam? (quid obstat,
Quin, GODEFRIDE, tuum est, complecti molli-
Atq; experiri spem citò. (ter ANNAM,
Aspirent casto Venus & Lucina labori:
Vt textet ABRAM I citò
Dulce BVCHOLCERI simulacrum: sic citò di-
Mirè beatum te Patrem. (cam,

MELCH. NERINGIO,
Secret. Elect. Sax.
ET DOROTHEAE DIDYMAE.

SEriùs huius hyems anni succedere nuper
Visa fuit; sed nunc sæuiùs illa furit.
Id præsensit & vt meliore Neringius *igne*
Arceret teneris artubus acre gelu,
Dissexit cautè & lautè: mox ecce medullis
Arcanum accepit molliter igniculum.
DOROTHEAE hunc nomen: nimirum hac arte fu- (gatur
Frigora? sic equidē Melchior *iste putat.*
Sponte *sapis: propiùs sed tantùm accede: calescis*
Plus satis, vt toto corpore sudor eat.
Fiet id, ætherius quando calor ossibus imis
Sponsorum immittet sese, operante Deo.
Fiat vt, hoc votum facio: Neringius *vrat*
Dorotheam: *illa illum: castus vtrumq; Deus.*

FRANCISCO VIRLINGO
Theologo VVratisl. excell. Viro opt. secundùm Sponso.

TEmpora canities tua nunc argentea circum
Serpit; & in laudes crescit amœna tuas.
Tu tamen Vxorem ducis, VIRLINGE, secundam:
Tantum cura Domus Prolis & ægra potest!
Caussa pia est: nec habet quod dira calumnia laudet:
Sed quod sancta Dei concio laudet, habet.

Stir-

Stirpe Sacerdotum placuit tibi nascier olim,
Ergo Sacerdotum, CHRISTE, tuere torum.

M. IOAN. POTINIO, V. doctissimo, Collegæ meo, Sponso.

POTINI, honestâ quòd genus ducis tuum
De stirpe: quòd polles sagacis Ingeni
Donis; quòd Atticæ elegantioribus
Musæ tibi decus paras coloribus:
Quod expedisti te pedestri puluere
Luctæ decorâ floridæ victoriâ,
Vt nunc magistros arte præstantissimos
Diæ recensearis inter IVLIAE:
Magna omnia hæc! sed maius vnum, candidi
Ductâ ex Sorore Nepte quòd CASELII
Affinitate iunctus es CASELIO.

GREGORIO HVGVVET, BELGAE, Cytharœdo mirè artificioso, potentissimi Brunsuicensium Ducis Musico, Sponso. Votum Musicorum Collegarum.

FAma est, Calliope & Phœbo natum Orphea
Mouisse aurata saxa ferasq; lyra. (quondam
Coniu-

Coniugij immò illá manes reuocasse Baratro:
Omniaq; Orphæis obstupuisse modis.
Quantò iampridem, sed nunc magis, alter es Orpheus
GREGORI, & Phœbi es Filius, & Veneris.
Martia namq; trabis non tantùm corda potentum,
Dum pulsas agili pollice doctus ebur.
Sed quoq; concilias dulci tibi pectine Nympham,
Præ quá vix nouit se satis ipsa Venus.
O te felicem Artificem! sic perge GREGORI
Plectra mouere manu, plectra mouere pede.
Hinc Gregoriolus *surgat mox alter, & Orpheus*
Tertius, hinc quartus, quintus, & artificum
Lecta cohors: aliis hinc primam IVLIA laudem
Musica *præripiat digna fauore choris.*
Hoc socii votum pleno nos claudimus ore:
Musica noster Amor. Musica noster honor.

IOANNI BARTERO I.V.D.V.CL. Iuliæ Professori pub. Sponso.

QVi cum laude sacri geminam Symplegada Iuris
Trananit à puero impiger,
BARTHERVS Viduam ducit. num desipit? immò
Suo sapit cum commodo.
Clari namq; torum SMIDSTETI Rhetoris intrat,
Ceu tertiam Symplegada.
Atq; ita se portu, fato duce, condit amico,
Virtutis auctus præmio.

CHRI-

CHRISTOPHORO GRITZNER R. & ILL. DVCI BRVNS. à Secretis, Viro eleganter docto, Amico veteri: Et CATHARINAE LVCHTENMEIERIAE:

SPonsus es: & tandem; tandem, inquam, Sponsus es,
Penè tibi canas injiciente comas!
Castiganda mora est, & compensanda, paternæ
Si gentis seriem perpetuare velis.
Res suspecta, & plena mali est, sine Coniugis vsu
Degere: non cœlebs quisq; pudicus erit.
Factum igitur, GRIZNERE, bonum: quod ama-
Quo sine non esses ingrediare genus. (bile vitæ,
Nec serò: siquidem feliciter ecce Puella,
Quam vel Adonis amet, dat tibi Sponsa fidem!
Vellem operi adstarem, & votum geniale referrem,
Cinctus Amicorum suauiloquente choro:
Porrectá pariter quos fronte valere iuberem:
Quandoquidem hinc aliò me pia fata vocant,
Absens verba tamen vel tria, Sponse, BONA.
Christophoros Catharina *ferat, ferat &* Catharinas:
Quid breuius siue precer? quidue precer melius?

Com-

Compensanda mora est, & castiganda frequenter:
Hæres? cras nuptam consule: multa scies.

In Nuptias DAVIDIS MVLLERI, Et HEDVVIGIS TITIAE.

DAuidi Müllero Hedvvigis Titia *nubit:*
Vir bonus est Sponsus, Sponsa puella bona est.
Fata pares iungunt; æquales vota tenebunt:
Ille Parente bono natus, & illa bono est.
Doctus vterq; Parens Sacrorum Interpres, & idem
Sponsus: conueniunt omnia: faustus hymen!
Faustus! conueniant sed semper vt omnia posthac
Adsis Coniugibus CHRISTE subinde nouis.
Se constanter ament; sed te constantiùs illi,
Hæredes regni progenerentq; tui.

CHRISTOPORO ROSLERO, Medico Excell. Et MARIAE HYLSIAE.

NE vacuis annosa Ceres spem fallat aristis
Agricolæ, multâ est arte colendus ager.

Vomere tunc opus est vnco, tunc semine puro,
Gnauo Equite, & tergo feruidioris Equi.
Sponse Autumnus adest: satio nunc vndiq; feruet:
Nomen habes ab Equo; nec tibi desit Equus.
Nec tibi desit ager fœcundus: is arte domandus,
Nt vis vt gelidum nomen in omen eat.
Vrge opus, vrge igitur, nec te res vlla moretur:
Poscit ager segetem; Sol fauet: hinnit Equus.
Spes bona, si bonus es, si iungis vota labori;
Omnis enim friget functio, nuda precum.
Ergò reapse id sis, quod nomine: at Hulsia *non sit*
Hulsia; *turgescat gemmea grana ferens.*
Röslero *ô pia fata fauete; fauete* Mariæ,
Grata olim vt cœlo Messis vtrumq; beet.

AMOR.

AN IVSVS, AN NA-turæ sit amare? rogatur:
Hei saxum, in cuius pectore nullus amor!

AMANTIVM DIVVLSIO.

QVò mea Vita fugis? salue, æternùmq; valeto:
Cætera, quæ volui dicere, fletus habet.

AMO-

AMORIS EXITVS.

VLtima vox nostros cum fletu finit amores:
Cur? quia cũ lacrimis rumpitur omnis amor.

FINIS EROTICON ET
Nuptialium.

GENETHLIACA.

De grauidá Principe
ELISABETHA, HENRICI IVLII
Potentiss. Ducis Brunsuicen.
Coniuge excellentissimá.

O Noua *Progenies* Henrico *nascere* Iulo,
Patria Natali sitq; beata tuo.

Subiiciebat in Prandio
VVERNERVS KVNIG
IC. Excellentiss. Consil.
DVC. Brunsuic.

VTq; sit, Henrici *qui nomina condat* Iuli,
Nascere Frencelio *digna propago Patre.*

DE

DE FILIOLA ELISABETHA SVSANNA, anno Coniugii septimo mihi natá.

Ad carisș. Patrem meum.

ESse videbatur sterilis qui totus, Agellus
Vel tandem segetem protulit ecce mihi!
Grata mora est thalamo, quam fructus pensat Amo-
Et mora non grata est, quæ sine fruge perit. (ris,
Ergo, Pater, Proles, mora quam mihi distulit ingens,
Optima non generis spes nequit esse mei.
Opto, seges segetem trudat, Messisq; sequatur
Multa! tori nam sunt pignora Dona Dei.

αὐτοχεδίως inserebam literis.

GVLIELMO AB OPPERSDORF
BARONI, Mecœnati meo:
De natá Filiolá SVSANNA.

NE mirare, tibi nondum quòd filius ortus,
Qui referat vultus, ingeniumq; tuum.
Spes alit Agricolas, spem gnaua industria firmat:
Omnia non vno tempore promit ager.
Tres tibi Filiolæ Gulielme: *hinc spes quoq; sunt tres,*
Perfectum trinum est omne, Deumq; refert.

Nunc, qui te referat diæ virtutis amore,
Ingenio, vultu, nomine, IOVA dabit.
Viue Susanna *recèns nata, & spem vince paternam:*
O dulcis nomen dulce Susanna rei!
Viue diu, & Fratrem mox cerne Susanna Gulel-
Et serie longâ nobile pande genus. (mum;
Euentura loquor: perq; hæc præsagia vates,
Si vates non sum carmine, certus ero.

Eidem de BERNHARDO GVLIELMO Filiolo post quatuor filias primogenito, longè optatissimo.

MAscula spes salue, quæ penè valere fuisti
Iussa; Deo laus sit, gratia læta tibi.
Nostra fefellisti nec enim tu vota, tot annos
Quæ fueras mœstum ludere visa Patrem.
Res quam valdè, ô Spes, procul absuit hactenus à te,
Quæ fouet amplexu te modò læta suo!
Gessit enim quoties vterum OPPERSDORFIA Con-
Vnica GVLHELMI cura SVSANNA pii. (iux,
Mascula progenies toties sperata Parenti est,
Prisco ex quo generi longa propago foret.
Mascula progenies nata est: spes mascula salue:
Mascula RES ô SPEM sæpè sequare tuam.

Viue

Viue diu BERNHARDE puer GVLIELME: parentũ
Spem supera, & Fratrum corpora plura vide:
Nomen vt hæredes habeat, stirps germina, plantas
Germina, Tutores Patria, Turba Duces,
Austriaci Proceres fidos in morte Ministros,
Pax Defensores, Mars sine fraude VIROS:
Ardua Cultores Virtus, pia Musa Patronos,
Cœlum habitatores, organa grata Deus.

IOANNI MENCELIO, Med. D. V. excell. Physico Ducatus Glogouiensis: Amico iucundissimo.

ET Vir, & Medice optime, optimæq;
MENCELI pater expedite prolis,
Idem Coniugis optimæ Marite
Menceli, *decus vnicum Tuorum,*
Nonne tu meritò (fatere verum)
Gallinæ Soboles voceris albæ?
Te fortuna oculis serena blandis
Aspexit: tua sospitauit ipse
Bonus fata Deus: deditq; plura,
Ausus quàm sueras rogare: fundi
Hinc sunt, hinc domus est, & Arca turgens:
Quæq; est perpetuæ Columna sortis

Recti conscia mens, salubre corpus,
Et hinc Filiolarum amœnus ordo,
Sororum chorus elegantularum,
Longa spes Generûm politiorum,
Densorumq; seges Nepotulorum.
Num quid IOVA tibi negauit? vnum
Forsan expetis; vt vel vnus extet,
Qui MENCELIOLVS vocetur ex te,
Et MENCELIADVM vocetur inde
Victuræ series honora gentis.
Visne te faciat IEHOVA voti
Compotem? memor esto (at heus, in aurem)
Præcepti veteris: LABORA ET ORA.

IOAN. IAGEMAN Cancellario, de natâ Filiolâ.

TEne iterum, magni Iagemanne *Os principis,*
Post interuallum fecit amata Patrem? (Vxor
Fecit: id argumentum ingens, & dulce fauoris,
Consortes thalami quo Deus ipse fouet.
Fecit: at haud sexus melioris prole: quid ergo?
Fœmina si nulla est, Masculus ecquis erit?
Quæ patrum series, si matrum nulla, futura est?
Sexus vterq; ingens munus, opusq; Dei.

Nata

Nata recèns igitur tantùm tibi Filia viuat,
Ingentumq; habeat Matris, & illud alat.
Candida simplicitas, virtus antiqua, fidesq;
Inuenient sedem tunc sine labe nouam.
Sic vir quondam aliquis Consorte beabitur aureâ,
Res Cultrice bonâ fertile, Matre Domus.
Sic Generum inuentes, tibi qui det, Iane, *Nepotes:*
Extendet cœlum sic Iagemanna *Domus.*

DAVIDI HILCHEN, Secret. Regio & Synd. Rigen. Viro nobilissimo, de nato Filiolo.

HILCHENIO abstulerat Natam Libitina te-
Fleuerunt Charites, fleuit & ipsa Venus. (nellã:
Fila Deus iussit Parcas noua texere: dictum,
Factum: instauratis nixibus arsit opus.
Debebat prodire recens LEONORA: sed ecce
FRANCISCVS roseo protulit ore caput.
Errorem risit Lucina, & risit Apollo,
Riserunt Charites, risit & ipsa Venus.
Ipse adeo vuidulis lallans vagitibus, hiscens
Verbula dulciculis & fugitiua sonis,
Risit dulcè nouis in cunis Pusio Matris
Bellæ, belli etiam bellulus ipse Patris.

O factum benè! sors sic sorte leuatur, & vna
Sæpius obiectas alterat hora vices!
Sic luctum fructus sequitur, sic gaudia fletum,
Sic funus fœnus, sic tenebrasq; dies!
Pusio scitule, pusio blandule, pusio salue
Comtule, felici progenerate toro.
Iam cupidè exspectant te tempe helyconia: fontis
Sacra caballini tam tibi bullit aqua.
Iam tibi plectrum Erato format, chordasq; Thalea,
Terpsichore citharam, Calliopea sonos.
Iam Clio argutos modulatur gutture cantus,
Iungit & alternis verba diserta modis:
Pusio scitule, pusio blandule, pusio cresce
Comtule, & HILCHENII SYDERIS esto iubar.
„Syderis, *in patrio radiat quod, vt æthere, scuto,*
„*In totamq; iacit lumina clara domum.*
Patria quo fulcro gaudet, sis Scipio Patri,
Curua premet lassos quando senecta pedes.
Vt sis, cresce; & sis serius conuiua Tonantu
Pupule belle hominum, bellule Pupe Dei.
Sic generosá olim claudam super indole votum:
Filius ô magni magnus & ipse Patris!

LAVRENTIO SCHEVRLAEO
Theol. excell. Collegæ meo,
De nato Filiolo,
TITO LAVRENTIO.

Salue

Salue nata recens Proles SCHEVRLAEA, tuumq;
A primo venerare die memorabile fatum,
Quod te purpurei fratres vult esse tot inter
DOCTORIS primum felici sydere Natum!
Posterior numero es, fateor: sed honore priores
Anteuenis. enixa nouem MADALENA Magistro *est:*
Doctori *hanc sperare vetat quid deinde daturam*
Viuida Scheurlæi *totidem Exemplaria* præli?
Tu viue, hanc seriem cano quò vertice cernas
Laurenti, *& cœlo multas florescere Lauros.*

ANDREAE CLVDIO IC. excell. ob Prolem.

Nvper te pullá Mors, Cludi, *veste onerabat,*
Coniugis extinctá Semiparente tuæ.
Nunc te Vita *iubet candentem innectere amictum,*
Prole iterum pulcrá te faciente Patrem.
Sic luctum fructu, sic funera fœnore pensat,
A cuius pendent omnia Mente, Deus.
Salue læta dies, hæc quá pensatio facta est,
Salue & tu fœnus dulce, Puella, Dei.
Nata benè es, benè nunc viuendum est: hinc cape vo-
Vt DEA sis olim, viue MARIA, Deo. (*tum:*

ALIVD

Ad eundem.

IAm fermè eſt annus, vitreum Lucina per Orbem
Vidit vbi ad menſam plura ſedere tuam
Pignora coniugii. nondum contexta corona eſt,
Florum nempe deeſt vnus & alter, ait.
Audiit hæc, riſitq; Venus, tacuitq; ; peractis
At Lucina nouem menſibus erubuit.
Plus riſit verſuta Venus, ſic fata: recurret,
O Soror *alma, tibi ſapius iſte rubor!*

IACOBO HORSTIO

MED. CL. Collegæ meo.

TOt ludis, & cudis libros, tot liberos
Liberrimè impigerrime Horſti, aliud quaſi
Agens, vt & fama, & genus tuum citò
Debere qui dicat mori, nil integri
Habeat vel ingeni, ſaliſue candidi.
Bis factus es Sponſus, Pater ter quinquies;
Et hoc, & illo tàm beatus nomine,
Quàm clarus, HORSTI, crederis tot à libris,
Quos edidiſti tu hactenus promiſcuè.
Quid ergo nunc rogas? quid vrges tam acriter,

Vt gratuler de Filiá recens tibi
Natá beato tàm priùs? Beatitas
Vt creſcat iſthæc in Libris & Liberis,
Ego quidem facto Patri terquinquies
Ter quinq; tambicis tibi opto verſibus.

GEORGIO VVOLFIO Muſico excell.

de Filiolo.

ALtera Dos thalami, generis ſpes altera, VVOLFI,
Filius eſt læto te Genitore ſatus.
Dum Theodorus *humum ſubit, en* Godefridus *in auras*
Prodit, & exſtinctum ſuauiter ore refert.
Vna via ad cœlum, velut vnus ſanguis, vtriq; eſt:
Seriùs inſiſtat ſed Godefridus *iter.*

IACOBO NEVBERO

V. opt. & doctiſſimo, SORORIO meo, De Filiabus duabus.

EPrimá quòd te Deus Autor & Auctor Amoris
Egregiá fecit Coniuge Prole Patrem,
Gratulor. hinc Proles Vxore ſecunda ſecundá
Quòd te iterum fecit, docte IACOBE, Patrem;

Plùs tibi, plùs grator; mihi fratri gaudeo cara
Coniugis, & voto prosequor istud opus.
Ingemino votum: par ô par dulce Sororum
Nata Susanna *Bonis, nata* Rosina *Bonis,*
Patrem imitans Soboles, par ô par dulce Sororum,
Crescе Susanna *Bonis, crescе* Rosina *Bonis.*
Matrem imitans Soboles, par ô par dulce Sororum,
Nube Susanna *Bono, nube* Rosina *Bono.*
Vtq; Boni ex vobis nascantur, & æthere regnent,
Viue Susanna *Deo, viue* Rosina *Deo.*

FINIS GENETHLIACωN.

SA-

SALO. FRENCELII TVMVLORVM LIBER.

DAVIDI CHYTRAEO Theologo excellentissimo, Historico insigni, Viro omni virtutum, doctrinarumq; genere præstantissimo: Inclitæ Academiæ Rostochiensis Professori primario: Amico veteri, pl.q; obser.

SALO. FRENCELIVS S. P. D.

MEmorabile est, quod Herodotus de Consuetudine Trausorum scriptum reliquit: Eos videlicet SVOS modò natos cum fletu excipere: mortuos læticiá risuq; prosequi. Ita enim ait: τὸν μὲν γινόμενον περιζόμενοι οἱ προσήκοντες ὀλοφύρονται, ὅσα μιν δεῖ, ἐπεὶ τε ἐγένετο, ἀναπλῆσαι κακά: ἀνοιγεόμενοι τὰ ἀνθρωπήια πάντα πάθεα. τὸν δὲ ἀποθνήσκοντα, παίζοντές τε καὶ ἡδόμενοι, γῆ καλύπτουσι, ἐπι-

ἐπιλέγοντες ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθὰς, ἔξι ἐν πάσῃ εὐθαιμοίᾳ. Quæ sanè consuetudo minimè impia videtur, aut etiam Christianá religione indigna. Quid enim vita Mortalium est aliud, quàm insanum pelagus, siue lerna quædam horribilis omnium malorum: mors verò quid, quàm καταφυγὴ αἰρετωτάτη μοχθηρῆς ἐκτης τῆς ζοης; quemadmodum idem venustè grauiterq; disserit? Cæterùm, vt impium non est, vitá functis de emigratione gratulari, καὶ περιχαίρειν, vt dicam euidentiùs: sic neque iniquum, eorundem vitam præclarè actam posteritati commendare, laudesque condignas monumentis tanquam virtutis testimonia, imprimere. Eam ob rem quoties de perscribendis Epitaphiis tum ab Amicis, tum illustribus Viris rogatus fui (fui autem persæpe) semper me illi ad huiusmodi officium promtiorem facilioremque inuenerunt, quàm ad quoduis aliud: non etiam nunquam sponte id operæ detuli lugentibus: sed non nisi summá familiaritate mihi deinctis: tùm quòd hoc non tam illis, quàm virtuti deberi agnoscerem: nec virtuti tantùm mortuorum, tanquam præmium: sed superstitum etiam, tanquam incitamentum ad persequendam honestatem: tum quòd

quòd idem tot seculis ante me factum viderem: idque fieri cottidie vbiuis gentium animaduerto. Vnde factum, vt huius Argumenti penè volumen quoddam congesserim. Ac proinde cum hæc altera Epigrammatum pars priori conformanda sit, ordinis ratio postulare videtur, vt sub finem Epitaphiorum fasciculum adijciam. Collegi igitur ex compluribus perpauca in hunc libellum: nec enim temporis angustia, instante Mercatu, ac vrgente Librario, plura admisit. Cum verò & hic non minus, quàm cæteri, Patrono muniendus, ornandusque sit; nemo mihi, clarissime optimeque Chytræe, potior videtur, quàm tu: hoc quidem loco, & in hoc tempore. Scio enim, te, qui ad summam eamque tam honorificam senectutem diuiná benignitate peruenisti, in meditatione Mortis, (quæ vtinam serò te Reipub. Scholasticæ eripiat!) relictis plerisque aliis curis assiduò versari. Neque verò quidquam facere potes te dignius: & fieri ab omnibus, optandum est. morte namque nihil certius: hora verò mortis nihil incertius dixit ille, & verè dixit. Porrò idem hîc mihi est propositum, quod erat in superioribus. Cum enim tu ab annis pluribus animo in me, nun-

nunquam visum, fueris propensissimo, tuaq; hæc singularis beneuolentia in dies augescat, multumque vetustatis ac roboris assumat; mearum esse partium intelligo: animum erga te mutuum, quem hactenus priuatim tibi literis delineaui, publico hoc testimonio, etsi perexiguo, tum tibi, quasi gratitudinis loco, tum Bonis quibusq;, vel mei honoris caussá, comprobare: tuumque istum luculentum amorem magis magisq; inflammare: simul innuere (nec hoc improbabis, puto) quid tibi aliquando abs me exspectandum sit: si paullo te longiùs Naturæ Ordine superstim; quod vt dubium est, ita solùm ἐν γόνατι θεῶ. Tuæ nunc erit humanitatis, doctissime Chytræe, institutum hoc meum ex candido (ita me ament Musæ) animo profectum, non auersari. Habeo enim te in carissimis, quòd olim coluisti Doct. Ambrosium Moibanum, V. CL. Auum meum, & magnifacio, vt Virum ad annos penè L. de literis eximiè meritum: quo nomine optimorum quorumque animos tibi deuinxisti, atque immortalem gloriam, à quá huic libello meo aliquid luminis accedere volo, comparasti. Quod si hoc Munusculum, siue strenulam, circa hoc noui Anni

ni initium, boni consulueris, quemadmodum vnicè abs te peto, profectò in eo me vehementer confirmaueris, quod de grauioribus meditor. Aeternus Filius Dei, qui propter nostram salutem HOMO FACTVS EST, seruet nos his turbulentissimis temporibus, propter nominis sui gloriam. In hoc salue, felicissimeq; vale. Ex Iuliá Cal. Ianuarii, Anno salutis nostræ M. D. XCIX.

TV MV-

TVMVLORVM LIBER.

Tumulus

Illustriss. Principis ac Domini Domini IV. LII DVCIS B. & L., pii, beneficii, & sapientis Herois.

MAteries virtutum ingens, Germanidos oræ
Lumen, Ateſtinæ Flos ſtirpis IVLIVS; in quo
Libertas animi Germana, Cupidoq; ſumma
Pro Patriá, *grauitas vultus, mentisq; ſerenæ*
Gratia, Conſilii vis felix, maior & omni
Impete fatorum, & cœleſtis ſenſibus ardor
Humanis miſtus regnabant: cùm ſibi vitam
Vixiſſet ſatis, haud Patriæ, hoc ſe Marmore condi
Extinctum voluit. capit Vrna repoſta, ſeueræ
Quicquid erat mortis: verùm Mens addita Diuis
Cœlo ouat, & nitido latè loca lumine complet.
Aſt immortalis magnum circumuolat orbem
Fama, omnesq; implet lætis his vocibus aures:
Saxonia *ô quantum diuino debet IVLO,*
Immò omnis quantum Germania debet IVLO,
Nobile quod Muſis ſelicem ſtruxit ad Elmum
Hoſpi-

Hoſpitium, impulſus pietate, & plenus amore
Totus inexpleto Superûm! iam grandior ipſo
Facte tuo, PATER ô, genio, & te maior IVLE,
Auſpicijs formoſa tuis quod Iulia *floret,*
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

BARBARAE
Illustrissimæ Principis Ligniciobregensis &c.

SVdate ô puro lacrymæ de marmore; namq;
Marchiacæ *hoc condit* Principis *exuuias.*
Da te lætitiæ cœli ô venerabile limen,
Diua quod indigenâ BARBARA calce terit.
At vos Cœlicolæ Manes, nunc Manibus auctî
Diuinis, plauſus ingeminate nouos.
Heroina parens Heroum, Herois & Vxor,
Nomine qui Patriæ Reg; GEORGVS erat;
Veſtra eſt; nec mirum: Dea mentis dotibus inter
Non ea mortales debuit eſſe ſuper.
Aſſicite inceſſum Dominæ, vultumq; decorem
Siderei: audite, vt nectar ab ore fluat!
Ipſa ſuo in ſpeculo Pietas mœſtiſſima Matris
Mirata eſt numen: credite, tanta fuit!
Et nunc Relligio, fuit ah mea BARBARA, clamat,
Saltem homo mortali corpore, mente Dea.

Sic reliquæ adclamant Sociæ. ergo lumine corpus
Quod cecidit, solum est funeris, illa Dei.

ILL. B. CHRISTOPHORO à SCHLEINIZ &c.

VXorem eripuit Christi *tibi Dextera: quid tum?*
Dextra eadem (luctum frena) tibi reddet eandem.
Nulla homini iactura, Deus quam munere pensat
Ipse suo: quod terra adimit tibi, reddet Olympus.

ALBERTI SLAVATAE Generosi & magnifici Dom. Dom. ADAMI SLAVATAE, L. Baronis à Chlum, & Cossumberg, &c. Consiliarii Cæsarei, Filioli.

HOc tumulo Albertus *requiesco* Slauata, Ada-
Patre satus, cuius nota, probata fides. (mo
Cara Sibylla *mihi genitrix* Mansfeldica *lucem*
Contulit; at aliâ nunc ego luce fruor.
Inspexi mundum, despexi, & denig, totum
Neglexi. hic meus est ad meliora gradus.
Quid mœres mater generosa? quid inclite luges
Mi pater? amplectar vos meliore toro.
Tem-

Tempus erit, dulces quo vos reuidebo parentes:
Nunc satis, Angelici me decus esse chori.

T. LECTISSIMAE MATRONAE, ex antiqua nobilissimaq; LERCHENFELDIORVM familiá oriundæ, tertiæ Coniugis Freimoniæ.

IN cuius Pietas firmam sibi pectore sedem
Fixerat, ore Venus candida, suada labris:
Illius exsuuias tegit hic lapis, æthere mens est,
Noxæ expers, mortis nescia, plena Deo.
Lerchenfeldiadum genus alto à sanguine duxit,
Fœminei exemplum lumen honosq, chori.
Freimonium *fecit faustum omni ex parte mari-*
Huicq, pio fuerat nubere digna viro. (tum,
Mors ipsa obstupuit super huius funere, & inquit:
Nescio, quò vertam spicula? numen adest.

παρηγορία
IOAN. VVOLF. FREIMONIO &c. Consiliario Cæs. intimo.

De obitu Eiusdem ipsius longè dilectissimæ Vxoris.

CEde, & crede Deo; luctum prece vince, metum
Spes fallit nullo tempore, nixa Deo. (*ſpe:*
Sæpe fauent nobis, quæ fata aduerſa videntur,
Quæq; vt iniqua latent, poſtea amica patent.
Nil fit in humanis dio ſine Numine rebus:
Eſt Deus in Sanctis mirus vbiq; ſuis.
Quos caſtigat, amat Pater (*hæc nota certa piorũ!*)
Quæq; nocent Illo Iudice, multa docent.
Nil hic, quàm lacrymæ: Patientia ſola medela eſt:
Quod præſens adimit vita, futura dabit.

Tumulus
Celeberrimo HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico, ante ipſius fatum, non ſine ipſius voto, vt anhelantis ad cœleſtia, conditus.

TOto clarus AVIS, Atauiſq; HENRICVS in Orbe
Hoc ſua RANZOVIVS condidit oſſa ſolo.
Grande decus Mars eſt Orbis, decus Orbis Apollo;
Vnum vtriusq; huius ſed decus ille fuit.
Regia per ſeſe Maieſtas ſplendida: at huius
Conſilio, & famâ clarior illa fuit.

Ma-

Maxima Nobilitas habet ornamenta: ſed vno hoc
RANZOVIO haud habuit clarius illa decus.
Virtus, Muſa, Charis defuncti funera lugent,
Quicquid & eximium totus hic Orbis habet.
Cur verò moritur, tam carus Regibus ipſis?
Nam Regum Regi carior ille Deo eſt.
Vna hæc RANZOVII fato niſi cauſſa ſubeſſet,
Miraretur tantos poſſe tacere viros.

Memoriæ
LECTISSIMAE MATRONAE,
Coniugis Ioan. Hiltebrandi Meckeri, Conſiliarii Cæſ. intimi, Viri nobiliſſimi.

QVòd ſi funeſtam dicis tibi CAESARIS Aulam
MECKHERE, quis mirabitur?
Corpus enim toto trahis ægrum tempore: verùm
Nil hoc ad alterum Malum.
Nam Conſors thalami dulciſſima, maxima fido
Auellitur Pars pectore.
Scilicet externis vt eam Mors conderet vmbris,
Linquenda erat lux Patriæ?
At funeſta tibi non Cæſaris Aula, nec illi eſt:
Sed Aula amica Cœlitum.

Namq; tuæ partem illam animæ capit illa: dolori
Proinde sit modus tuo.
Vos fera *diuulsit Mors:* Vera *sed altera Vita*
Faciet secundò coniuges.

IOANNIS à RHEDERN.

Magnæ familiæ, parisq; exspectationis Adolescentis, Magnifici & generosi Viri, GEORGII, S. Cæs. Maiest. Consiliarii, Filii vnicè dilecti.

DElicium Patriis, Genitricis sola voluptas,
Spes Rhederorum *maxima, Gentis Amor,*
Ianus *huic Saxo vi fracta* Georgius *ossa*
Credidit; ast animam, ceperat vnde, Deo.
Occubuit morti, primo sub flore Iuuentæ:
Tam citò? mors causſam vult; *ita vulgus ait.*
Hei fera vox, vera hei nimiùm! sic calculus acer
Extitit huic properæ causſa maligna necis.
Hic tenerum attriuit tormentis mille dolorum
Corpus, & hoc tandem deposuit tumulo.
Sed melior vitæ meliori Calculus ægrum
Per mortem asseruit sanguine, CHRISTE, tuo:
Calculus, arcanis rationibus omnia ad vnguem
Quo momenta hominum supputat Ipse Deus.

Quò

Quò magis infelix ille, hoc felicior iste
Calculus; hic vitæ causſa, sed ille necis.
Ille quod est lumbis, hoc præsens vita, dolorum
Plena; futura Mali nescia, plena Boni.
Puluerulente vale; cœlestis Calcule *salue:*
Hac modò RHEDERVS voce beatus ouat.

T. GVNTHERI à BARTENSLEBEN, IN VVOLFSBVRG, &c. Eq. Sax.

HOc nitidum cuius marmor tegit ossa, Nepotum
Spes bona, Maiorum Gemma coruſca fuit:
GVNTHERVS patriæ lux BARTENSLEVI-
(Astra nitore hæc gens attigit ipsa suo) (VS oræ:
Non Cyclops, non Centaurus; sed origine verâ
Nobilis; ingenio mitis, amansq; Dei.
Musarum, Charitumq; hospes, Virtutis Alumnus,
Felix & prole, & Coniuge; cætera homo.
Hic septem expletis, vná & trieteride, lustris,
Insuper & septem mensibus, occubuit.
Occubuit; non succubuit: nam membra reliquit,
Non nece, sed tantùm victa sopore, anima.
Vita Viri breuis hæc, fateor: sed reddita longa est:
Et bene! vita satis longa, peracta bene!

κενοτάφιον

Reuer. & magnifici V.
Dn. BVSSONIS CLAMERI AB ALVENSLEBEN Eq. Sax.
Canonici Magdeburg. & Consiliarii Brandeburgici.

SIste gradum, & fulgens monumentum hoc cerne Viator,
Cultori voluit quod generosa suo
BVSSONI CLAMERO statui post funera Virtus,
Aluensleuiadum Saxone Gente sato.
Cui Pater, Aonidum decus, & Ioachimus, *Asylum,*
Et KVNIGVND A parens Monchusiana fuit.
Vis Vitam, & finem? Maiorum exempla sequutus
Virtutum à teneris vnguibus hausit opes.
Leucoris has florens, & Lipsia, & alma Tubinga
Auxerunt opibus terna Lycæa suis.
Hinc illi ad celsos aditum patefecit honores
Sors cita, Virtuti quæ solet ire comes.
Vidit delitias Belgæ, Angli robur, Iberi
Fastum, Itali miras luxuriantis opes.
Hinc Galli & pompam visuro, at febre peremto,
Atq; hypochondriacis (hei male!) torminibus,
GENNVA pulcra, animam cùm iam susceperat æther,
Post firmata fide vota, dedit tumulum.
An patrios extra fines, si Patria cælum?
Immò hoc in Patriam est ire, redire suam.

T. HELENAE BVCHTIAE, CONIVGIS Generosi nobilissimique V. VVencesl. Scheliha, &c.
Illu. Ducatuum Oppoliensis & Ratboriensis Cancellarii. Obiit ex casu Currus, & hunc consequuto infelici partu.

STemmate Buchtiadum *generosorum orta vetusto*
Hic HELENA exangues deposui exuuias.
Hei Rhedæ infelix mihi caussa ruina ruinæ
Extitit: hæc veteri flebile læsit onus.
SCHELIHA gauisus me Coniuge nuper honestâ
Huius delicium, cor, decus omne fui: (est:
Ingenium cuius, virtutem, artemq;, fidemq;
Curia Cæsarei prædicat ipsa fori.
Coniugio poterat nostro nil suauius esse:
Velle & nolle vnum semper vtriq; fuit.

Ille mihi Pater & Coniux: ego fida viciſsim
Illi (ô par ſanctum!) Mater & Vxor eram.
Mater eram lectæ Sobolis: verùm vltima lucem,
Illi quam dederam, nata mihi eripuit.
Sed rurſum eripuit vix nato mors fera lucem
Filiolo: hinc vná hæc contegit Vrna duos.
Contegit at cineres tantùm: pars optima cœlo eſt:
Aula animas Superûm nam capit vna duas.
Hoc ruere eſt? ô fauſta loci mutatio! curru
Decidi, vt hîc ſtarem: currus in aſtra ruit.

MARITVS AD DEFVNctam.

MEprior aſtra petìs: quanto ô felicior es me!
Chriſti hîc nos iunxit, nos ibi iunget amor.

T. ADAMI, Eiuſdem Filioli, immaturo partu ex eodem caſu editi.

HIc tumulus, ſacer ergo locus: ſubſiſte Viator:
Matrem & Filiolum nam capit ille duos.
Buchtiadum *mihi Mater erat ſata ſanguine* Ada-
Et Pater illuſtris VVenceſilaus *Auis* (mo,
Scheliha, *Maiorum decus, & lux magna Nepotum,*
Pars Procerum, Patriæ qui moderantur opes.
Abſu-

Abſumit, fateor, nos lamentabile fatum:
Caſus enim Rhedæ noſtra ruina fuit.
Sed lapſos ſubitò excepit pia dextera Chriſti,
Protenus & curru vexit in aſtra ſuo.
Hoc vbi vidit amans Genitor, mentem ille reſumit,
Fati quem penè hoc exanimârat onus.
Auecti quantis eſſemus cladibus æui
Senſit, idem ad Superos mox meditatus iter.
Fors aliquas poteram crudeli in carcere mundi
Ducere (namq; aliud vita quid iſta?) moras.
Sed miſerum hei dixit miſerandá voce Puellum
Primo à vagitu me moribunda Parens.
Ne miſer ergo eſſem, me cum Genitrice beatá
Vexit in æthereos enthea rheda toros.

T. HENRICI EIVSDEM FILIOLI, mirificè dilecti.

HIc quoq; ſurgebat magno Spes magna Parenti
SCHELIADES: verùm & concidit illa citò.
Concidit HENRICVS terrá: ſurrexit at idem
Aethere: quá Menti proxima nempe via eſt.
Annis maior erat (properæ hæc cauſſa vnica mortis)
Quàm citò mortalis, tam citò diuus homo.

T. GEB-

T. GEBHARDI AB ALVENSLEBEN, LVDOLPHI Filioli, Ioachimi Nepotis, Eqq. Sax. nobiliſſimorum.

BEllulus hic, fato ſomnum inducente, puellus
Dormit, honoratis nobilitatus auis.
Illum enixa fuit Schuleburgica Eliſſa Ludolpho
Aluenſleuiadæ. *magnus vterq; parens.*
Os oculos Patri frontemq; ſimillimus, inde
Delicium matris, ſpes fuit vna patris.
Aetatem anteiit GEBHARDVLVS indole lætâ,
Moxq; in Vere ſuo, & temporis occubuit.
Nec malè: namq; illum ſuſcepit protenus Aeſtas,
Quæ demto Elyſios fine ſerenat agros.
O benè deſertum ver, quod tanta excipit æſtas!
Turbida longa omnis vita, quieta breuis.

ALIVS Eiuſdem.

ALuenſleuiadæ Schuleburgica Eliſſa Ludolpho
Quem tulit, hac victâ morte GEBHARDVS humo
Conditur ingreſſus ſextum, quùm vicerat, annum:
O felix, victâ *cui cita morte quies!*

T. HEL-

T. HELMHARDI KIRCHBERGER, Eq. Auſtriaci, Viri genere, pietate, literis, omniq; Virtute verè nobiliſſimi.

SI quid germanum, ſi quid memorabile, ſi quid
Nobile, magnificum ſi quid, & ingenuum eſt;
Et ſi hoc omne poteſt Parcarum lege domari,
Et claudi tumulo, clauditur hoc tumulo.
Namq; hac Helmricus *ſitus eſt* Kirchbergius *vr-*
Quo nihil Auſtriadum terra tulit melius. (ná,
Vix animam efflârat, cùm terra nigreſcere viſa eſt,
Splendidiorq; nouâ luce micare polus.

Memoriæ SIGISMVNDI MINSINGERI à Frundeck, Ioachimi, IC. præſtantiſſimi Filii, Eq. Sax. nobiliſſimi.

INclita decrêrat Ioachimi facta Parentis
Sigmundus *variâ MINSIGER arte ſequi;*
Tanto nimirum dignus Patre Filius: ergo
Illi prima, Deum noſcere, cura fuit.
Poſthac Virtuti totum ſe dedidit vni,
Vt genus, vt nomen, vt tueretur opes.

Martis

Martis & artis amans, in vtrumq; paratus, honestâ
Spe plenus, laudum nobile carpsit iter.
Vsq; adeò sed cuncta sequi vestigia Patris
Ardentem ipsius traxit ad ora Patris
Dux Christus, veterem ad complexū, atq; oscula notæ:
O felix, qui sic cepit, & implet iter!

T. ANNAE REINVVALDIAE, CONIVGIS VAL. DRESLERI, Consil. Brandeb. Onolsb. & Cancellarii Ducatus Carnouiensis, V. amplissimi.

ANna Valentini Dresleri *hac contegor vrná*
Coniux, Reinvvaldi *filia, Amica Dei.*
Hoc vno, quòd Amica Dei, fors nomine felix,
Nam quid in hoc Mundo maius, amore Dei?
Me tamen & nuper confido fuisse beatam,
Quòd talis Coniux, Filia talis eram:
Nata & nupta Viris, fungentes munere eodem
Dulce suo generi qui peperêre decus.
Magnus enim pridem DVX MARCHIO prædicat (horum
Iunctam consiliis cum grauitate fidem.
Hoc sat erat, similes sed sum quòd Auiq; Patrisq;
Dante enixa Deo, plus id honoris habet.
Gratia Christe tibi, cui demum viuere cepi:
Nam mihi vita prior quæ fuit, vmbra fuit.

T. LEO-

T. LEONORAE, DAVIDIS HILCHEN, Secretarii per vniuersam Liuoniam regii, & Syndici Rigensis, V. magnifici Filiolæ.

OMnia deberi fatis, cui credere durum est,
Hæc legat, & voluat lecta, relecta animo.
Hic iacet Hilchenio *sata Patre Puella* Dauide,
Quò super ipse Pater Cynthius obstupuit.
Nympharum hac fuerat, si vixêt, hyperborearum
(Tantus in ore nitor!) grande futura decus.
Quod poterat Natura dare, hoc LEONORA *ferebat,*
Materni effigies oris, & ingenii.
Et tamen occubuit vix nata puellula fatis:
Nil hic forma, genus, nil valuêre preces.
Occubuit spem præter: humo hac cinis: æthere mens (est:
Ecce, viator, habes, quod mediteris! abi.

ALIVS.

HILCHENII cuius non venit nomen ad aures,
Qui quot verba facit, tot gerit ore fauos;
Curia Sarmatici quem sustulit inclita Regni,
Cuius inexstincta Patria laude cluet.
Huius Spes, Solatiolum, & Furuncula cordis
Hîc sita Filiola est; nata, renata Deo,

Et

Et denata eadem LEONORA. sed ô cito! qui sic!
Non obit ante diem, qui venit ante Deum.

ALIVS.

LVmina syderei gereret LEONORA quòd oris,
Et mortale nihil, nil populare foret
In mente illius: citò iussa est scandere cœlum,
Vt sua conferret lumina luminibus.

DEFVNCTA AD PARENTES.

ET mea dum fertis grauiter properata Parentes
Fata, quòd Angelicis sum sociata choris?
Quanta ô præuerti letho mala! quanta capessô
Nunc bona, mî cœli dum patet omne latus!
Hîc demum ô cari, vita est! hîc gaudia demum!
Quod lætum, lethum est omnibus, absq; Deo.
Luctus abesto: hæres sum cœli: plausus adesto:
Sum LEONORA Dei, sum LEONORA Dei.
Haud poteras aliter, Pater, his dominarier oris
Tam citò, fata mihi nî properata forent.

T. CHRISTOPHORI FISCHERI, Theologi clarissimi, Ducatus Lunæburg. Episcopi.

QVi iacet hîc, CHRISTI Piscator, Gestor *& idē*
Fidus erat, Re, ceu nomine, Christophorus.
Cepit

Cepit, & in cœli viuaria transtulit alti
(Sic Christum gessit!) millia multa hominum.
Quò tandem & Christus fessum æuo transtulit illum:
O pulcrè expletum nomen vtrumq; Viri!

Generoso nobilissimo, optimoq; V. GEBHARDO à MEIENDORF &c. De Abortu desideratissimi Filioli.

QVòd modò te Prolis, GEBHARDE, fefellit
Ne nimis irati cor tibi finge Dei. (Abortus,
Iudicium, fateor, non perscrutabile quiddam est
Illius: occulto singula fine gerit.
Hei tamen hei fatum est, ordiri & claudere vitam
Matris in angusto carcere, triste nimis!
Triste minùs, si non animam Mors occupat vnà:
Hac salua, est membris mors cita longa quies:
Filioli ceù salua tui: (dubitare caueto)
Non perit, ingenitá qui sine labe cadit.
Eluit omne nefas sobolis pietate parentum,
Et grauitate precum, & victus amore Deus.
Ne nimis ergo tuum grauiter defleto Puellum:
Omnibus emersit fluctibus ante diem.
Carcere pro rigido, proq; vmbrá est luce potitus,
Libertate, bonis omnibus, ante Deum.

Ne dubita: mens mira Dei est, & amica voluntas:
Nostra semel pulsans ostia, multa monet.
Dum castigat, amat; dumq; accipit ille, rependit:
Est bonus: *ergo* bonis *quod facit, omne* bonũ *est.*

T. ANNAE VELTHEMIAE, Eiusdem Coniugis incredibiliter amatæ.

MEidorpI Coniux Anna hîc Velthemia, *pul-*
Prole ferax, morbis fracta, quiete fruor. (crá
Non mihi frontis honos deerat, nec gratia morum:
At formam, & mores sustulit vna dies.
Sustulit illa tamen mihi non virtutis honorem:
Ille mihi demto fine superstes erit.
Cur te igitur nimio mœrore, GEBHARDE, fatigans
Sollicitas manes terq; quaterq; meos?
Desine, fatorum vis est immota: Maritus
Tu meliore mihi restituêre toro.
Quot mihi decedunt properatâ morte, tot anni
Accedant vitæ, care Gebharde, *tuæ.*
Nostræ cura tibi sit prolis, vt hactenus, & sit
Cura Dei: hæc Nostri Copula perpes erit.

T. HENRICI A SENIZ &c. Illustrissimorum PP. Lignic. & Brigens. Consiliarii, Strelensis ac Nimecensis Diœcesis Præfecti, Viri omnibus heroicis Virtutibus nobilissimi.

Stirpe

Stirpe satus veteri iacet hic SENIZIVS, vni
Cui deuota Deo Mens Patriæq; fuit:
Prudens, ingenuus, nulli grauis, æquus in omnes,
Sobrius, insignis Marte togaq; Senex.
Talis erat, quales cupiunt plerique videri:
Talis vixit, auet sicuti quisq; mori.
En vt prisca Fides, & nudus Candor ademti
Hospitis innumeris ossa rigent lacrymis!

T. Nobilissimæ Matronæ ANNAE BILOVIAE, Ioachimi à Bassevviz, Regiæ Maiestat. Daniæ, & Illustrissimorum PP. Megapol. Consiliarii, Dobertinensis Capitanei, Dom. hæred. in Leuuezovv, Viri genere, Virtute, & literis splendidissimi.

BAsuiti Coniux Ioachimi *nobilis ANNA*
BILOVIA hac, victâ morte, quiescit humo.
Si qua Domus studiosa fuit, studiosa Mariti,
Prolis amans, & amans Numinis; ista fuit.

T. IOAN. PVCHERI à Pucha, inclitæ Reipub. VVratisl. Senatoris, & Camerarii, summâ pietate & prudentia præstantis, vereq; nobilis Viri-

Hei quot Virtutes tegerentur mole sub istâ,
Si possent Superûm dona subesse neci!
Patria quos casus hei iam perpessa fuisset,
Vnius ingruerent si mala morte viri!
Nam Patriæ columen, magni & pars magna Senatus
Hac recubat, maior laude, PVCHERVS humo.
Officio cuius posthac foueantur Amici,
Quanta ô nunc Musas sollicitudo tenet!

T. Nobilis. Viri CAROLI CHRISTOPHORI à SEBOTTENDORF in Ionsdorff.

HIc Carolus Christophorus, *ævo florido*
Raptus, Sebottendorffius *sepultus est:*
Stirps hæc bonos multis Alumnos seculis
Apollini, simulq; Marti protulit.
Hunc occupauit hic honorem CAROLVS:
Eumq; iam proseminare gestiit.
Iam cogitabat de Puellâ nobili,
Repente cum vocauit illum ad Nuptias
Deus suas, quibus nihil beatius.

T. MARTINI SCHILLINGII Patricii & Senatoris VVratisl. Viri nobilissimi.

Quis

QVis situs hîc? nomen si dixero, dixeris ipse:
Elysiæ hic candens Vnio Gentis erat.
Stirpe satus Schillingiadum. *nil amplius effer:*
Sat didici: stirps hæc nil mediocre tulit.

T. HENRICI STEPHANI VVratisl. Cæs. Consil. & Fisci per vtramq; Silesiam Procuratoris, IC. nobilis.

QVi sidus Patriæ, Themidi qui splendida Merces,
Corona qui Suis erat:
(Cæsaris hoc norat magni thronus) is modò cœli
Relatus inter sydera est.
Functus enim fato exsuuias hoc marmore clausit
Henricus; *at mentem æthere:*
Mox vbi perpetuo radiantem flore coronam
Est consecutus à Deo.
Numquid, quàm ΣΤΕΦΑΝΟΣ, poterat cognomi-
HENRICVS hic mage proprio? (*ne dici*

T. IOACHIMI SPECHT IC. Consil. Illust. Ducis Brig. & Lignicensis Viri excell.

EFflorere ingens patriis vix ceperat aruis
Decus Themistos SPECHTIVS:

Mors immaturo rapuit cùm funere florem
Generis, DVCISq, & Patriæ.
O fera mors, Specht I melior pars æthere viuit,
Quid ergo iauara possides?

T. MELCHIOR. VVEISSENBERGERI Geilhusani, Consiliarii Palat. IC. excell. & optimi Viri.

HIc pietas, candor, doctrina, fidesq, quiescunt,
Hic mœstæ patriæ maxima cura iacet.
VVeissenbergeri *cineres hac continet vrna:*
Quæ dixi, huic Vni cuncta fuêre viro.

In Obitum ANNAE FILIOLAE FRIDERICI SCHARFII I. V. D, Cancell. Brande. Regiomonti.

ANna *quòd es claris prognata parentibus, ingens*
Gratia quòd labris eniteat, ore decus:
Anna quidem ex felix: felicior Anna sed an non,
Astra quòd æthereo flumine lota petis?
Iactandum genus est? si sancta Ecclesia Mater
Est tua; si tuus est, qui regit astra, Pater;
Si Frater Christus; quis te superabit honore?
Nonne Dei gratum Gratia fecit opus?

T. ZACH.

T. ZACH. VRSINI VVRATISL. V. omnibus modis doctissimi.

ELysiæ VRSINVS stellurìs lapsù in Vrnâ
Hac cubat, humano grandior ingenio.
Natura ipsa sibi nimiùm citò luget ademtum:
Namq, hunc quod latuit, vix puto, Phœbus habet.

T. IOANNIS BVRCHOLDI IC. celeberrimi, maximorum Principum Consiliarii, & Iuliæ Ordinarii, Viri integerrimi.

LVnæburga quidem per se clarissima dudum est:
Illa tamen lumen maius adepta fuit,
Præbuit vt cunas Burcholdo: *& tum quoq, cepit,*
Summum nacta decus, gaudia mente, Themis.
Illa sed est vultum visa obscurare; nec ista,
Hoc moriente, vdis abstinuit lacrymis.
IVLIAS vt tumulum audit inuitissima, at eheu,
Hic etiam Candor *quòq, pelitur, ait.*

T. REINERI REINECCII, Historicorum nostri temporis facilè Principis, V. omnium Bonorum Amore dignissimi, Collegæ mei.

HIstoriæ Princeps noſtræ REINECCIVS, ætas
Iſta parem cui vix eſt habitura, fuit.
Attamen haud, aliis vitam qui contulit, illi
Nondum annis feſſo Parca pepercit atrox.
Heîc Cineres: cœlo eſt Mens: Orbem fama peragrat:
Ingrati, demum quis fuerit, gemimus.

T. HARTVICI SMIDENSTET, Lunæburgenſis, Oratoris ornatiſſimi, V. CL., Collegæ mei.

EVepiæ Soboles, quem IVLIA ſæpe tenantem
Mirata erat, SMIDSTETIVS
Vir grauis, & ſuauis, fato ſortitus amico eſt
Ibi ſepulcrum, & næniam,
Natus vbi cunas acceperat: inde petiuit
Pia Patriam Mens tertiam.

REV. ET CL. THEOLOGO, D. DANIELI HOFFMANN, V. excellentiſſimo, Iuliæ Profeſſori primario: Lugenti triſtem Vxoris longè dilectiſſimæ, ſuauiſſimæq; ſobolis Obitum.

HEi quæ ſima mihi conſternat peſsima mentem,
Peſt tibi ereptum corq; animumq; tuum:

Illud dulce caput, MVSAEO Patre creatam
Vxorem, & ſocio hei funere progeniem!
Quàm mirùm, te non ſimul exanimaſſe dolorem,
Aut omnem mentem ſurripuiſſe tibi!
Sed tua ſeruârunt Medicum te Pharmaca ſacrum
Nata *domi ex dio ſemine, voce Dei.*
Et bene! ceu placuit Domino, ſic deniq; factũ
Huic ſit perpetuò Gloria, laus & honos. (eſt:
Ille Pater nobis, non Vitricus: inde paternâ
Nos ſua caſtigat pignora cara manu.
Multa, Hoffmanne, *docent nos. ſi qua nocere vi-*
Et Bona Mens *diſcit multa docẽte Deo.* (dentur:
Ille Tuos tibi reſtituet, moderare dolori,
Teq; vide: nil hæc vita, futura iuuat.

T. M. IOANNI PELARGI Paſtoris Svvidnicenſis, pietate, doctrinâ, & dignitate præſtantiſſimi.

PHœnicẽ Elyſiæ *genuit* (*res mira!*) *PELARGVS:*
Mortuus is, ſed nec mortuus, hîc ſitus eſt.
Mira legis; ſed vera legis: ſupereſſe Pelargum
In Phœnice ſuo, viuida fama docet.
Hîc tantum cineres diuini Interpretis: extat
Pars melioq; polo: pars ſupereſtq; ſolo.

AD PARCAS DE DAVIDE CHYTRAEO, Theologo, Philosopho, & Historico insigni-

CHYTRAEVS ille, quo tot annis Balthicum
Triumphat æquor; quo superbit Saxonum
Gens omnis, omnis ora gaudet Teutonum,
Videtur ætatis supremam candidæ
Nunc attigisse laude summa lineam.
Sic est. sed ô Parcæ *viro vos parcite,*
Qui nemini viuit grauis, bonus omnibus.
Fallor? piisne consecrat iam Posteris
Congesta tot laboribus, tot noctibus
Desiderata sæpius volumina?
Sic est. CHYTRAEVS ergo longùm Balthico
Viuat mari, viuatq; Genti Saxonum,
Omniq; sit superstes oræ Teutonum.

T. LAVR. BAVDISII IC. ILL. PP. Monsterbb. Consiliarii, V. doctissimi.

VEre renascuntur florum ornamenta, caduntq;:
Flos breuis est, breue Ver, vitaq; nostra breuis.
Vere cadit verè flori assimilandus amæno
Baudisius, *generis gloria prima sui.*

Cur

Cur adeò immaturus obit? quia carus amicis,
Carus Principibus, carior ille Deo est.

Memoriæ IOAN. VLRICI CASELII, Ioannis CL. Philosophi Filii, magnæ exspectationis Adolescentis.

VLricus ingeni Caseliades *boni,*
Boni Patris ceu Filius, Charitum tener
Pullus, Voluptas Palladis, Phœbo caput
Sophiæq; carum, iam Iuuentâ in primulâ
Omnes Spei numeros paternæ impleuerat:
Nobis refloruisse iam CASELIVS
Visus fuit, decenniis qui quatuor
Vernârat antè totius Saxoniæ
Flos aureus: quid? totius Germaniæ,
Charitum tener pullus, Voluptas Palladis,
Sophiæq; Phœboq; vnicè carum caput:
Cum, prater ecce spem, Patri Spem maximam
Subtraxit hei Iuuenem bonum vis abdita
Fati seueriòris, ipsis inuicem
Parcis tribus prater modum dolentibus.
Quarum prior, solata semianimem Patrem,
Sapientiæ ecquid omnis oblitus tuæ,
(Inquit) tuiq; haud ampliùs memor ipsius,

Frenas

Frenas dolorem? Vlricus *haud abiit procul:*
Est, quo licebit congredi vobis, locus.
Hinc Altera: inuidenda fortunatior
Num tam beato Sors foret Ciui Deûm?
Cælo triumphat iam Tui pars optima.
At Tertia interrupit hæc, & ô boni
Parens (ait) Senex verende Filii,
Videsne, nunc vt sordeant similes tui
Camerarii, & Victorii, cum Sturmiis,
Precioq; sint in maximo fungi putres
Seclo fauentibus futuro Barbaru!
Vbi sit ergo tutior tibi Filius
Tam doctus & politus ille Filius,
Tam suauis, & modestus ille Filius,
Quàm Cœlitum scholis in omnium optimis?

T. INTEGERRIMI VIRI, ALVEO RAPIDO, Equi lapsu, infelici hei fato, abrepti.

NE damna innocuũ: quem fatum merserat vndis,
Nam vitæ huic ratio semper honesta fuit.
Sæpe obnoxia sit variis innoxia vita
Casibus: exemplum qui petis, hocce vide.

Vir

Vir bonus immersus fato est, emersit & idem:
Portus eum excepit quis? pia dextra Dei.

DOROTHEAE STECLENIAE Ioannis Hattorffii Consulis Reipub. Osterodensis Vxoris, Matronæ honestissimæ.

DOrothea Hattorffi Steclenia *Consulis Vxor*
(Præfuerat Patriæ, profuerat; Vir hic)
Transtulit huc viduum, comitante pudore, grabatũ,
Victa esset melior quò sibi morte quies.
Prudens simplicitas, Virtus antiqua, fidesq;
Si mortem opperirent; hac tegerentur humo.
Iacturâ infelix vtriusq; OSTRODIA! felix
Verùm eadem, cineres quòd fouet illa pios!
Anne Deo rapiunt etiam sua munera *Parcæ?*
Non rapuêre; immò restituêre Deo.

T. GEORGIO RHENANO Viro optimo, viuo petenti conditus.

HIc mea Rhenanus *post fata* Gregorius *ossa,*
Vt meliore fruar conditione, tego.
Debita persolui Patriæ: mens conscia recti
Ante Deum in Patriâ perpete testis erit.

Nunc

Nunc cæcas hominum curas, nunc rideo fraudes:
Quá meliore frui conditione queam?

T. ANNAE KVLEMANNAE Sponsæ Iungiæ Virginum Holsaticarum lectissimæ.

VIrginei flos ANNA chori KVLEMANNA quieui
Hîc cineri inueni post cita fata meo.
Sponsa fui, iam tam lecto vicina iugali:
Iam Genitrix Auiæ *, iamq; fouebat* Aui
Dulce pater dulcis dulci spe nomen; & hoc est,
Quòd grauiùs nunc flet funus vterq; meum.
Sed frustra. potiùs gratari debet vterq;,
Quòd meliore modò conditione fruar.
Mortali iungenda Viro, mortalis & ipsa
Nuper eram, egregio (non nego) Sponsa viro.
Ast immortali nunc immortalis & ipsa
Sponso Sponsa fidem per noua vota dedi:
Illi, cuius ouans Ecclesia Sponsa superbit
Nomine, amore, fide, fœdere, dote, toro.
Ergo quid ô Genitrix, & tu Pater optime luges?
Et tu Sponsæ animæ portio summa meæ?
Mox iterum nos vna dies coniunget, & hora:
Tum iungi, ô IVNGI, nos pia fata sinent.

Nunc

Nunc sum Sponsa Dei: quid magnificentius? ardor
Hîc demum est, illic Vmbra, nec vmbra satis.

T. SALOMONIS RICHTER, Zachariæ Viri præstantis Filioli.

ZAcharia *natum* Salomonem Iudice *saxum*
Contegit hoc; flos hinc surgit ad astra nouus.
Siste, Viator, iter: mortem & meditare. puellis
Quæ si non parcit, parceret illa tibi?

T. FRANCISCI, INFANTIS BIMVLI, FRANCISCI PARCOVII, Ill. D. Brunsv. Medici felicissimi, V. doctissimi, Collegæ mei, Filioli.

QVis sit, qui transis, situs hic, num scire laboras?
Francisci *Soboles sum pia* Parcouii.
Nomen Patris erat mihi: spes dictabat & omen:
Transtulit ast alius nuper vtrumq; Pater.
Me natum Medico esse bono nil profuit, ille
Nam Medicus voluit maximus esse suum.
Quæ tot tanta Orbi restant, defixit in Vnam
Hanc mala, me summis restituitq; Bonis.
Nunc quibus, æternis anima exspectata triumphis,
Perfruor, in laudes tota soluta Dei.

Si

Si me audire volet Genitor, si blandula Mater;
Tum luctus fructus, lacrima risus erit.
Tantùm abii: haud obii: Naturæ hic cursus, & Ordo:
Triste, solo dirimi; dulce, redire polo.

T. Infantuli abortiui MATHIAE VINCK, Academiæ IVLIAE Secretarii, Filioli.

VInckiades *iaceo hîc cognomine, nomine nullo:*
Ex vtero nam me traxit ad astra Deus.
Gaudia spondebas de me tibi maxima nuper
Mi Pater: in ventos hæc an abisse putas?
Haudquaquam: viuo, qui vitam amittere visus
Sum tibi, in alterius Sede, sinuq; Patris.
Num dubitas? nescis, quot commendaueris illi
Me dudum precibus, cum Genitrice, Patri?
Seruat ab innumeris me hîc vobis cladibus ille,
Hic mille excipiam vos ego basiolis.
Accepi vitam, amisiq;, statimq; recepi:
O quàm sustinui tempore multa breui!

T. VXORIS VVENCES. VVEICARDI.

VVeicardo *breue nupta viro dũ tempus adhæsi,*
Quanquam animo, membris non Catharina *fui.*
Conditio hæc hominum? nunc saxo hoc condita verè
Nupta animo, & membris sum, Catharina *Deo.*

T. M. CHRISTOPHORI CAESARIS, Iuuenis doctissimi, M. Christophori, Scholæ Halensis Rectoris, Viri pietate & doctrinâ præstantissimi, Filii.

CErnis, vt hoc Laurus surgat de cespite, Laurus
Atq; alia æthereo vertice promineat!
Nimirum hîc situs est, quem Lauru nuper honorâ
Euinxit Præses docta SOPHIA soli.
Flos placuit Superis: hinc tractum ad sidera Lauru
Euixit Præses sancta SOPHIA poli.
Sic, fuit hîc nudo tantùm qui nomine CAESAR,
Sceptra modo æthereâ CAESAR in Arce gerit.

In Obitum IACOBI HORSTII FILII, Viennæ piè mortui.

HOrsti *extra Patriam Fili quæ vera* Iacobi
Patria? *si cœlum dixero, nonne domi est?*
Christe, tuere animam, nec vitam perspice; finem
Respice: sic tua Mors *vita dolentis erit.*

VIr miser, & felix iacet hoc sub pondere, de quo
Ambigitur fuerit doctior? an probior?

TVMVLVS PRISCIANI Grammatici.

HIc iacet ille bonus violentâ cæde peremtus
Priſciades, *Muſis quo ſine nullus honor.*
Authorem cædis vis dicam? Carolus *ille eſt*
Loſſius, *organicâ Muſicus arte potens.*
Hic ter mille Seni miſerando vulnera linguæ
Vi madidâ inflixit, non feriente manu.
O facinus dirum, delirum, deniq; mirum!
Carole *dic, cædis ſolus eraſne reus?*

FINIS EPITAPHIORVM.

PSALM:

PSALMI LXIIII.

QVI MIHI FAMILIARIS, PARAphraſis, quam tanquam ſpecimen lucubratiuncularum mearum ſubijcere placuit.

ECquo confugiam tandem, aut quæ deniq; poſcam
Auxilia, ô vindex cauſſarum maxime IOVA?
Quæ? tua. Tu me igitur iuſtis modò queſtibus aures
Implentem, Re vrgente, tuas audi, ô Deus audi.
Ecce hoſtis, rabido ore minas, & prælia ſpirans,
Iudicii intendit vim famæ? & turpe periclum!
Huius ab inſidiis vitam, meaq; omnia ſerua.
2. *Eripe me cœtu prauorum, atriſq; maniplis,*
In cladem qui dira meam ſub pectore verſant
Conſilia, artifices fraudum, pleniq; furoris.
3. *Non ſic fulmineum exacuit Bellator in hoſtes*
Mucronem, velut hi linguas ad vulnera ſtringunt.
Oris peſtiferos ictus, & toxica fundunt
Inſani, gelido ceu tela armata veneno:
4. *Vt nempe incautum, & vitam ſine labe trahentem*
Transfodiant ex inſidiis: citò ſpicula mittunt,
Securi ſcelerum: non hîc ratio vlla ſalutis.
5. *Nec verò excuſat quemquam imprudentia: mentem*

Quin magis obfirmant cuncti, atq; obrixius ausi
Facta infecta loqui coëunt in fœdera porrò,
Pelliciuntq; alios sua sub commercia, & acri
Consilio Decreta coquunt, quá ponere casses
Arte velint: &, quis deprenderet? insuper aiunt.

6. *Moxque auidè exquirunt scelerum abstrusissima quæq;*
Inuenta, argutis mendacia picta figuris,
Instructi celeresq; dolis: nec tam vllius imo
Sublimis latitare potest versutia corde,
Quam non vestigent penitus, mirèq; retexant.

7. *At sua mox etiam iactabit Ioua potenti*
Tela manu, & nimiùm sontes subito impete sternet:
Tunc sub inhumano stridebit pectore vulnus,
Et dolor intus edet miseros, nec desinet esse.

8 *Tum trucis Authores conuicta Proteruia linguæ*
Impetet ipsa suos: hinc fient fabula vulgi,
Opprobrium, & risus fuerat queis antè voluptas
Maxima, in insontes rabiosos stringere dentes.

9. *Tum, tales quicunq; vices casusq; videbit,*
Attonitus stabit, plenoq; fatebitur ore:
Hæc exempla DEVS statuit, non casus: *& omnes,*
Hoc opus esse DEI, *aduertent, hanc Vindicis iram.*

10. *Tum verò ante alios per tot discrimina rerum*
Iactati, pressiq; diu, at nil tale merentes,
Attollent animos, spemque omnem in Numine ponent.
Inde triumphabunt demum Mens conscia Recti,
Integritas, Candor, fucique ignara voluntas.
Propria Victores sua tum præconia dicent,
Corda soluta metu, veterumq; oblita malorum
Gestantes, admirantes, & complaudentes.

Ex libris Elegiarum.

CALENDIS IANVARII^c ANno à partu Virginis M.D.XC.

DEcessit vetus, & cursum nouus incipit annus:
Antiquos mores exue, sume nouos,
Quisquis es; insanis & cum Ratione, futura
Tempora promittis qui meliora tibi.
Tutior est hodierna dies, mihi crede, sequenti:
Vltima sunt primis & grauiora malis.
Quid mirum? telá scelerum crescente, necesse est
Crescere diuinæ verbera sæua manus.
Ah miser, in mediis violentæ fluctibus iræ
Dextera percussit quem metuenda DEI.
Quò propior rerum finis, securior ætas:
Quò maior Domini gratia, peior homo.
Relligio pedibus calcatur, & aurea Virtus:
Anser Olórq; hodie sunt in honore pari.
Peccat, qui rectè facit huius in impete secli:
Qui didicit fraudem vincere fraude, Vir est.
Os ait, esse DEVM: negat hoc ratio impia vitæ:
Viuimus hei vitam, Sardanapale, tuam.
Ipsa stupet facies cœli, & rota feruida Solis,
Atq; edunt querulos cuncta Elementa sonos.
Tótq; incarnatos Cacodæmonas omnibus oris
Non sine miratur plausibus ipse Satan.

Et

Et tamen ille animi patiens DEVS horrida differt
Supplicia, ac fato dat meliore frui.
An non hoc vsi fuimus feliciter anno,
Dum flagrans aliis sæuit ira locis?
Non sacra defecit nostros Annona penates:
Omnia quæ tellus debuit vna dedit.
Quòd Bacchus nobis sua dona retraxit, an æqua
Res minus? hanc pœnam fœdus abusus habet.
Nos feritate Feras superare adsueuimus istâ:
Turpe est, non rectè munere velle frui.
Nulla venenatis etiam contagia morbis
Corpora presserunt nostra, tegente DEO.
Nec cum sanguineo Bellona timenda flagello
Vastauit nostros hei mala pestis, agros.
Penè sed ex voto fluxerunt omnia nostro:
Fauerunt nobis pax, & amica quies.
O mortalis homo, tibi quæ DEVS otia fecit,
Cerne, nec ad clades accelerato gradum.
Vicini paries ardet: tibi prospice tandem:
Alterius damno qui sapit, ille sapit.
Te nimis audacem non indulgentia reddat:
Differt, non aufert, vltima fata DEVS.
Omnia sunt completa ferè præsagia vatum:
Christus adest, vitam corrige, Christus adest.
Nate DEI, quòd nos veterem superauimus annum
Tam benè, tam placidè, muneris omne tui est.

Concipere haud æquas nos ſcimus pectore grates:
Ergo minùs multò dicere: lingua labat.
Debebas vno nos impete perdere: parcis
Tu tamen, & penſas tot mala, Chriſte, bonis.
Gratia, Laus & honos tibi ſit Rex maxime Regum,
Sit tibi, ſit ſemper gratia, laus, & honos.
Perge, tuêre tuos: nec in ipſo ardore furoris
Exſere Iuſticiæ vimq́ modúmq́ tuæ.
Hunc etiam cumula fatis melioribus annum:
A noſtris arce ſedibus omne malum.
Comprime bellorum motus, pacemq́ miniſtrâ:
Bello nulla ſalus: maxima pace ſalus.
Da veniam ſceleri: rege pectora noſtra: geramus
Vt mores, anni cùm nouitate, nouos.
Ocia da ſtudiis: errorum ſemina tolle;
Protege templa tui gnara, foueto ſcholas.
Chriſte veni tandem, finémq́ impone labori:
Tandem ille æternis ſolibus annus eat.
Nec tamen interea nos deſere, maxime IESV:
Te Duce, nulla Ouibus vis metuenda tuis.

LE-

LECTORI S.

PRodiit anno ab hinc quinto ex illuſtri VVitebergá Epigrammatum meorum Pars prima, quam tum Syluam nuncupare allibuit, ita quidem deproperata, vt perſæpe optarim, caſtigatiorem recudi, & adhuc optem, idemq; optét Librarius, præſertim cum Exemplaria ſint diſtracta. Eam hæc altera tum ex ordine ſequitur, tum ex promiſſo: & ſequentur ſuo tempore plures, ſi longiorem vitæ vſuram DEVS nobis indulſerit, otiaq; Dii Marini fecerint, qui admirabili DEI prouidentiá in ſuam me fidem vltro receperunt. At hîc Momum ſcrupulosè ſciſcitantem audire mihi videor, ad quem tandem vſum familiarium huiuſmodi verſiculorum Farrago ſpectet, quæ nihil habeat ingenii, nihil artis, cui nihil inſit maſculum, nihil enucleatum, nihil ad Imitationem veterum? omnia è triuio congeſta; calcatis verbis ſtrepitum fieri: Muſam ignobilem delumbemq; humi ſerpere: cur non alio potius argumento me virum præſtem? Sanè fateor, ingenium in me quàm ſit

exiguum: fateor, popularia hæc esse pleraq;: plurimorum nomina consignata; capita verò rerum nulla aut pauciſſima titulo tenus apparere. verùm & hoc adfirmare ausim: nullum penè hìc Epigramma extare, quod non Lectorem, cumprimis adoleſcentem, de re quapiam bonâ, ſiue directè, ſiue obliquè, commonefaciat, ſalutare aliquod vitæ Præceptum, ſiue Noëma continens, vel reconditè, nec fortaſſe ſine omni prorſus acumine. De Stylo verò etiam non diffiteor, eum nec grandem, nec ſplendidum, nec pompoſum, imò & hinc illinc ſibi non parum esse diſſimilem. Minutiæ enim hæ ſunt, ſiue quisquiliæ, ſiue Luſus Muſarum, non lucubrantium; ſed in itineribus, in lectulo, in Amicorum complexu, aliud agendo, delitiantium. De eodem tamen ſtylo affirmarunt iam antè viri docti: *Proprium esse eum, & perſpicuum*: ad quæ duo præcipuè attendi debere, Artifices me docuerunt, & Præceptores, & quicunq; de Oratione cum ratione iudicare poſſunt. Præterea, qualia qualia hæc ſunt, eorum tamen Editionem abs me flagitarunt Amici, nec de vulgo, nec ex purpuratis ἀγραμμάτοις, ἢ ἄμουσοις; ſed viri graues, docti ſolidè, & quos non tam genus, quàm doctrina, & virtus antiqua illuſtres

ſtres reddiderunt. quippe illis adeo hæc facilitas, hæc perſpicuitas, hæc verborum prò-prietas non diſplicuit, vt verſiculos plurimos, adeoq; integra Poëmatia noſtra memoriter recitent: quod litteris demonſtrare tam facile, quàm nullius eſt operæ, planum facere, vtrum rectiùs illi de ſtudiis moribusq; meis ſentiant, quàm quos faſcinauit Inuidia, quæ omni tempore mihi (etſi acerrimo hoſti ſuo) honori fuit, & inſigni emolumento. At poterant hæc elaborari? fateor & hoc. ſed iidem Amici *Eadem* voluerunt, quæ & manu, & mente acceperant. Nec per graniora ſtudia, quibus creſcente ætate Dominus Deus me deſtinat, plus temporis his ſucciſiuis & leuiuſculis impendere mihi licuit. Erunt autem alia, diuinâ aſpirante gratia, ex quibus fortè conſtabit, humine repam ſeruum pecus? an verò & venuſtas, & vetuſtas non omnis me fugiat? Ea cuius generis futura ſint, ad finem Epiſtolæ huius videre licebit: in quibus perpoliendis, caſtigandiſq;, nihil operæ, nihil induſtriæ, nihil artis prætermittam, præſertim vbi curæ, Muſis noſtris iniquiſſimæ, abſceſſerint, & Virtuti propiùs ſe coniunxerit nota Comes: quæ ſi nonnullis tempeſtatibus ha-

ctenus me prohibuisset, & hæc paullò fortasse sereniora apparerent. Neq; enim cum D. Augustino fateri erubesco, ex eorum me esse numero, qui scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt, nec me latet vetus illud FLACCI verbum : quod vt vina, sic Poëmata dies reddat meliora. Cæterùm nec in suspicionem alicuius arrogantiæ apud sapientes incursurum me puto, quod *Extemporanea* passim, cum notâ, inseruerim. ita enim se res habet: nec grauibus de cáussis siue limare, siue interpolare ea visum fuit, quæ in præsentiâ aliorum exciderant, non ex ore madido, neq; scurriliter, aut cum turpi castissimæ Diuæ nostræ παιδαγωγείᾳ; sed inuitantibus, & rogantibus Viris illustribus, nobilissimæ artis huius, omniumq; politiorum literarum eximiè amantibus. QVOD Res ipsas attinet, equidem spero eas apud neminem aliquid offensionis accensuras, qui bonus esse mauult, quàm videri. aculeatis enim morsibus neminem insector : quod Poëtæ est liberalis & cordati; perditissimos mores passim verborum libertate perstringo :

nec cuiusquam Epigramma Poëtæ
Absq; sale est aliud, quàm cibus absq; sale.

INPRI-

INPRIMIS autem ii, qui in canones & verba Romanæ Ecclesiæ iurarunt, nihilоq; tamen minùs in fidem necessitudinemq; suam πολιτικῶς tumalios, tum me iam olim vltro receperunt, minimè moueri se patientur, quod alicubi RELIGIONIS mentionem facio, quam profiteor. Quin imo eius ingenuitatis illos esse probè exploratum habeo, vt me pro leuissimo homine, & nequam Christiano habituri sint, si in confessione fidei (quod eheu familiare est hodie quamplurimis!) improbè tergiuerser, siue aduler. Boni enim est Viri, palam dicere, quod sentit, præsertim de DEO. Neq; verò cuiusquam Religionem contumeliosè criminor, tum quòd id nec mei sit ingenii, nec professionis : sed eorum potiùs, quibus abundè est contentionum, & apud quos ne cogitationes quidem innocentum extra periculum versantur. IN his autem omnibus, quæ fidem, non illam politicam, concernunt, ad Programma (cuius summa; ἀχρι βωμοῦ) prouoco, quo in primâ paginâ te alloquor; quisquis es, Lector bone. Nec me alium finxit natura, nec educatio, nec splendidissimæ occasiones emergendi, & nescio quò ascendendi; id quod permultis primæ autoritatis viris non est obscurum. Monerem præterea aliquid

quid, aut excusationem adducerem, de non seruato Personarum ordine, nisi compertum haberem, prudentes, & graues quosq; Viros istiusmodi fumos floccifacere, nihil minùs curantes, quàm quo loco collocentur, dummodo honesto non excludantur. Equidem hanc Editionem ab aliquot annis moliebar: verumenimuero semper impeditus, subitò eam, imperantibus Amicis, aggressus sum tandem, & priùs, quàm omnia in ordinem redacta haberem, eoq; tempore, quo ob insignem, fatalemq; Mutationem meam, huic Rei diligentius incumbere mihi otium non suppeteret. Erant igitur quæuis arripienda, ne ceptæ vrgentis Typographi operæ interrumperentur, eamq; ob caussam permulta omittenda. Itaq; qui hîc desiderabunt sua, ægre non ferant; sed ea in tertiá parte expectent, rogo. Nam simul institui omnia nequeunt: & opusculum dare propositum erat, non volumen. & cur singulis libellis Epistolam nuncupatoriam præfigerem, certæ honestæq; rationes occurrebant; quas, nisi fallor, paucis à principio phaleucis sattigi. Neminem etiam siue tam morosum, siue tam arrogantem, siue tam ineptum futurum spero, qui in

in celebratione laudis suæ plus præ aliis sit desideraturus. Apage puerilem isthanc fatuitatem. Ego nemini quidquam detractum volo: idemq; de omnibus, quorum nomina hîc mihi vendicaui, pronuncio, quod Xenophon de quibusdam heroibus in suo de Venatione libro: ὧν κατὰ χρόνον ἕκαστος ὑπὸ θεῶν ἐτιμήθη. Habes, quæ scire te volebã, LECTOR. Nunc qualis es, ita iudica: ita salue: ita vale. Ex illustri IVLIA, XVI. Cal. Februarij, quo die LVTHERVS, præsentium Calamitatum hei Vates nimis verax, postremam concionem VVitebergæ habuit. Anno sal. humanæ M. D. XCIX.

CASPARI PEVCERO V. CL.

QVòd genium nostris optas, PEVCERE, perennem
Versibus; ipse tuo gaudet amore DEVS.
Huius enim in laudes nugis auet ire relictis;
Nec minùs æqua bonis nostra Thalea Viris.
Vocum grande genus non pompâ adfectat inani:
Perspicuo & proprio *gaudet vbiq; stylo.*
Iamq; morata minùs Momos, exclamat: habebit
Peuceri votum pondus, ego genium.

HANC

HANC SECVNDAM
Partem Epigrammatum sequentur, si Dominus mihi vitam concesserit,

I. *Duæ, vel tres partes Epigrammatum.*
II. *Epicorum opus.*
III. *Elegiarum opus.*
IV. *Lyricorum Opusculum.*
V. *Psalterium DAVIDIS verâ, & perspicuâ Versuum heroicorum paraphrasi, ex fontibus, & doctissimorum Virorum Commentariis expressum.*
VI. *Orationum diuersarum Liber.*
VII. *Liber adoptiuus.*

SECVNDAE PARTIS EPIGRAMMATVM FINIS.

Quicquid conabor dicere, Christus erit.

CVI SOLI GLORIA.

ELENCHVS PERSONARVM
Quorum Nomina huic opusculo inserere nunc quidem videbatur.

A.

Adamus Daniel 48
Æplinus 49
Albinus Petrus 149
Antelius 56
Albinus Ioan. 69
Amelunxen 76
Arnoldi 90
Augustus Dux Br. & Lun. 102.138
Adamius Theod. 164
Aluensleben 183.185

B.

Bodenmeier 20.86.109.125
Boëthius 23.61
Breithor 24
à Berg. Ioach. 42.82
Burchold 52.163.191
BOTMAR Conr. 9
Baumannus 91
Bonninius 95
BRESLA 112
Bartensleben 128.133
Braun 82
Budißinehr Biblioth. 132
Broizem 139
Borstell. Leuinus 142
Becke Hermannus 146
Basseuuiz 189
Braschius 166
Bucholzerus 167
Barterus 169
Baudisius 192
Bucretius 153
Bilizerus 153

C.

Curtius 10.52.128
Chisel. Georg. 16.141
Cludius 17.60.124.175
Clampius 54.148.149
Cunzius 20
Camerita 23.92
Collinus 40
Caius 53
Chytræus 79.89.177.192
Cæsar Christ. 79.196
Culmannus 80.195
Coberus 90

Capella 91.113
Closius 94
Caselius 93.110.111.124.193
Crato 95
Crasselius 109
Carolides 124
Chimarrhæus 124
Camerarius 126
Cuchlerus 165
Cancius 166

D.

Dhyrn 16.63.82.92.97.99
Ditrichstein 16
Dreslerus Val. 34.186
Daut 62
Delius 94.150
Daniæ Insignia 101
Domaracius 108
Dorncreil 123
Donauerus 132
Diepholt 133
Dasypodius 163
Donatus Georg. 167

E.

ERNESTVS DVX B. & L. 6.47.102
Einsidel 16
Eick 22
Erffa 67.129
Entrhardus 71
Ehrnreiter 79
Ecterus 92
Exnerus 121

F.

Fengerus 12
Frencelius Senior 14.112
Frencelius Iunior 25.26.172
Forsterus Val. 20.225
Fabricius 29
Fischer Petrus. 41.117
Freimonius 49.103.181
Frolich Casp. 51.160
Firx 53
Frischlinus 74.86.115
Frobenius 60.81
Finx 134
Fischerus Christoph. 161.178
Francus Valens. 151
Furst Georg. 154

G.

Gitschinius 19.57
Gerlach 37.61
Gelhorn 54
Gros. 85.113
Gozius Ioach. 85
Guntherus 72
Geisler 91
Grisbeccii 121
Geilnhausen 121
Grunfeld 125
Gersdorff 82
Gebhardus Sebald. 132
Goldstein 132
Gruzner 170
Guntherus Ouenus 151
Gruphenius 154

H.

HENRICVS IVLIVS DVX B. & L. 5.88.47.66.84.101.137.138.171
Hornstein 11
Hanniuuald 12.104.139
Hofman Ioan. Frid. 13.19.
Henisius 17
Hellius 72
Hofman Ferdinand. 21
Hentschius 24
Holzbecher 28
Hessius Paullus 29
Hermannus Ioan. 34.97
Hofman Sebast. 35
Hilchen Dauid 58.71.174.187.140.154
Henelius 62
Handl 89
Horn 72
Huttenus 78
Hilteprand. 76
Horstius 77.89.95.110.115.175.196.122.127
Huldenreich 87
Hertelius 108
Hildrichius 126
Heidenreich 134
Haulichius 164
Hane 165
Hyonuett 169
Hofman Daniel. 191
Hattorff 194
Hypocrita 140
Hund VVencesl. 144
Hoym Otto 145
Hœschelius 151
Hilconius 153

I.

Ionas Casp. 51
Iudeshertzog 52
Iageman 59.60.86.98.111.121.128.173
Iungius 87
Iglauia 126
IVLIVS DVX B. & L. 179

K.

Kniphausen 7.22.64.139
Kinnerus 11.39.50.53.60.79.108
Keselius 44
Knesebeck 69.142

Kempelius 131
Konig 147.171
Kirchberger 144.186

L.

Loß 14.103
Lerchenfelder 16
Lyserus Polyc. 24
Ludecus 51
Lutherus 73
Ludouicus Casp. 77
Loff 89
Lippe 94
Lindner 107
LEO Henr. 109
Lichtenstein 129
Lignicensis Principis
BARBARAE 180
Langemantel 143.144
Liddelius Duncanus 154
Lipsius 155

M.

Monauius 18.34
MAVRICIVS Landgrauius 32.140
Mollerus Casp. 35
Melanthon 36.73
Mylius 50
Meyer 57
Mancinus 80
Mulnerus Ioannes 100.141
Mockherus 103.182
Maldroius Baro. 107
Meibomius 124
Momus 127
Moth 134
MAXIMIL. Archidux 137
Mulnerus Dauid 170
Mynsingerus 186
Meiendorff 188
Mencelius 156.173
Mincuuiz 141. 160
Michael VVolffgangus 161
Michael. Ioan. 162
Mencius 167
Martinus Cornelius 152

N.

Neosanius 24.180
Nostiz 31.56.82
Neostephanus 89
de Noua domo 102
Neringius 168
Neuberus 176

O.

OTIO DVX B. & L. 6
Oppersdorff 38.71.82.104. 172
Oethaus 85
Otterus 133
Ortlepius 183

P.

Pelargus 15.40.73.135.192
Peucerus Casp. 23.31.203
Pistorius Val. 26
Placelius 43.106.133
Posselius 55
Paurmeister 75.76.93.114 121
Podebusch 96
Pirckholz 110
Pucherus 112.180
Posthius 115.125
POLONI 122
Petraus 147
Puschius 82.144
Potinius 169
Parcouius 149.195
Priscianus 196
Rasradius 150
Paludanus 152

R.

Rosencranz 13
RODVLPHVS CAESAR 14.38.47.66.84.119
Rhedinger Nic. 25.129.82
Rollenhagen 36
ROMPF 37.102
Rhenanus 40.53.194
Raphanus 43.69
Rhediger Matthaus 56
Reyger Arnoldus 57
Reus 68
Richter 70
Reinhard 77.113.162
RANZOVIVS 104.120. 181
Rideerus 97
Rheder Melch. 106
Rucardus 126
Rechenberg 82
Rasselius 133
Razbar 142
Reusnerus Nic. 145
Roslerus 170
Rheder Georg. 182
Reineccius 191
Richter Zach. 195
Rhuman 148.159

S.

Scheurlaus 18.27.28.35.131. 175
Senz 23.82.143.188
Scholzius Laur. 29.149
Schleinz Christoph. 30.93 103.119.128.158.181
SAMOSCIVS 140
Scharlach 55.152
Scato 58
Senerus 61
Schunarzmeier 74.105.159 169

Stoshagius 76
Sartorius Andr. 76
Sartorius Christoph. 78
Starck Zach. 81
Strein 85
Stoß Baro 92
Stifelius 94
Senizii 96
Scheliha 98.184.185
Schonborn 111
Schuuarz 132
Schmidius Ioach. 165
Slauata 180
Schottendorff 189
Schilling 189
Stephanus Henr. 190
Specht 190
Scharff Frid. 190
Schmidenstet 191
Schualbius 62
Satler Basil. 146
Smidius Ioan. 149
Schindler 150
Sigefrid. 151
Speckhan 153
Strelensis Respublica 154

T.

Tilesius Melch. 9.39
THRAVISON 10.67
Tettelbach 80
Tirtschkii 86
Taubman 88
Tradelius 97.123
Trellaus 107

V.

Vsler. 20.145
Virlingus 73.89.168
Vngarus 79
Vulteius 116
Vrsinus 191
Vinck 195

VV.

VVILHELMVS DVX B.& L. 7
VVitkenstein 12
VVeihe Eberh. 13
VVestphalus 24
VVerdenstein 62.142
VVernerus 86
VVildpret 113
VVitte 105
VVarkotsch 120
VVenzelick 45.158
VVolffius Georg. 162.176
VVeissenberger 190
VVeicardus 195
VViferingius 155

Z.

Zetliz 29.82
Zimmermannus 40
Zuuingerus 115
ZEROTINIVS Carolus Baro 138

Erra-

ERRATA

Tum in transcribendis, tum excudendis his pagellis commissa, ad hunc modum Lector non prorsus negligens corriget.

P. paginam, f. faciem, v. versum indicantibus.

Pag.33 fac.1.vers.12.legeGenibus Ibid.f.2 v.18 pro copulauit, lege sociauit P.49 f.1.v.15.lege abutéris. Ibid. curæ. P.51.f. 1.v.12 lege similáribus. P.54.f.2.v.10.lege furculus P 57 f 2 v. 13 lege,pro Andrea,Arnoldo. P 74 f.1.v 17 lege,pro volens,volucns. P.81.f.1.v.4. pro IANE, PETRE. P.89 f.2.v 10.Musæi, pro Philosophi. P.92 f.1.v.17 Patriæ. P 99 f.2 v.2 Quæ,pro quá. P 127.f.1.v.12.pro vituperarim,lege, Ego laudarim P 128. f.2.v.4.succo. P.132.f.1.v.3.renidet. P.133.f 2.v.12 lege,qui libidine. P.142 f.2.v.20.Knesebecum. P.143.f.1.v.8.post lucernam, dele punctum. P.147.f.1.v.vlt.fruente,lege, fauente. P.160.f. 1.v.16.Filiæ. P 161.f.1,v.vlt.Culta. P.167.f.1.v 3.pro capite,lege tibi. P.168.f.2.v.12 Immittet. P.169.f.2.v.4 pro Gregori, lege, Hugvvetti. Ibid.v.9.pro,sic perge Gregorii, lege, perge ô Citharœde. Ibid v. 11.pro,Hinc Gregoriolus, lege, Hinc tibi Gregorius. P.174.f.2.v.8. Heliconia. P.185.f.1.v.5. resumsit P.194. f.1.v.19.pro Georgio lege Gregorio. Ibid.pro hoc versu,Hic mea, &c.suppone hunc, Hæc ego Gregorius cineres Rhenanus in vrná. P.196 f.1 v.13 euinxit.

Absoluto hoc demum libello, productæ primæ Syllabæ in voculâ (Propitius) *me pœnituit, tum quòd oblitus Etymi fuissem, tum quòd nullius veterum Poëtarum Auctoritas me tueretur. Quare, si placet pro hac voce suppone, clemens, pro casus formatione; aut aliam. Ego sanè deinceps Neotericorum, haud alioqui obscurorum Poëtarum licentiâ non facile decipi me patiar. Vale lector, & dormitantibus alicubi Musis ignosce, non immemor, talia aliquando Principibus Poëtarum accidisse.*